



14282. V. M. d. 1.

✓

G

UN

S.

A

B
T

R

GENUINA INDOLES DOCTRINAE ECCLESIASTICAE INGENUAE INDOLI

SCIENTIAE MEDIAE, PROBABILISMI,
ET GRATIAE EFFICACIS

OPPOSITA

QUAM

UNACUM POSITIONIBUS EX UNIVERSA THEO-
LOGIA THOMISTICO-AUGUSTINIANA SUB CLE-
MENTISSIMIS AUSPICIIS.

CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

CAROLI

S. R. I. PRINCIPIS AC EPISCOPI LABACEN-
SIS etc. etc.

IN

ALMA ET ARCHIEPISCOPALI BENEDICTINA UNIVER-
SITATE SALISBURGENSI

AUTHORE AC PRAESIDE

P. RUPERTO GUTRATH

BENEDICTINO SAN-PETRENSI SS. THEOL. DOC-
TORE, EIUSDEMQUE IN SCRIPTURISTICO-DOGMATICIS,

ET POLEMICIS PROFESSORE ORDINARIO, CELSIS. AC REVE-
RENDISS. ARCHIEP. ET S. R. I. PRINCIPIS SALISBURGENS.

CONSILIARIO ECCLESIAST. ALMAE UNIVERSITATIS
PROCANCELLARIO, ET VICE-RECTORE,

RITU SOLENNI PUBLICA DISPUTATIONE PROPUGNABIT

M. REV. ORNATISSIMUS ac DOCTISSIMUS

D. GEORGIUS VINCENTIUS PESDITSCH

RATHMANSTORFENSIS CARNIOLUS AA. LL. ET PHILO-
SOPHIAE MAGISTER, SS. THEOLOGIAE IN SECUNDUM ANNUM AU-
DITOR, EIUSDEMQUE PRO SUPREMA LAUREA CANDIDATUS EX

AMINATUS ET ADPROBATUS, NEC NON IURIUM STUDIOSUS.

DIE 30. AUGUSTI ANNO SALUTIS REPARATAE MDCCLXXIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUEVIS.

SALISBURGI, TYPIS IOAN. IOS. MAYR, P. M. HAERED.



GENUINA INDOLES
DOCTRINAE DOCELIASITICAE
INGENUAE INDOLE
SCIENTIAE MEDICAE, PROBABILISMI,
ET GRATAE EFFICACIS
O P P O S I T A

QUAM
UNACUM POSITIONIBUS EX UNIVERSA THEO-
LOGIA THOMISTICO AUGUSTINIANA SUB CIE-
MENTISSIMO APTISSIMO
CELISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINI DOMINI
C A R O L I
S. R. I. PRINCIPIS AC EPISCOPI LABACI



SIS etc. etc.
IN
ALMA ET ARCHIEPISCOPALI BENEDICTINA UNIVER-
SITATE SALISBURGENSI
AUTUMNO MDCCCXIV

F. RUPERTO GUTRATH
BENEDICTINO SAN. PETRENSI SS. THEOL. DOG-
TORE, EUSDEMQUE IN SCRIPTORISTICO DOGMATICS
ET POLIEMIS PROFESSORE ORDINARIO, CUIUS AC NUP-
RENDIS ARCHIEP. ET S. R. I. PRINCIPIS SALISBURGEN-
CONSILARIO FECTISS. ALMAE UNIVERSITATIS
PROFECTILLARIO, ET VICE-RECTORI
RIT. SOLEMNI PUBLICA DISPUTATIONE PROPONUNT
M. REV. ORNATISSIMUS AC DOCTISSIMUS
D. GEORGIVS VINCENTIVS PESDITSCH
NATHANSTORFENSIS CARNIOLUS AA. LL. ET THEO-
LOGICAE MAGISTER, SS. THEOLOGICAE IN SECUNDUM ANNUM AD-
CTOR, EUSDEMQUE SUBREMA LAUREA CANDIDATUS EX
AMINATUS ET APPROBATUS, NECNON IURIS STUDIOSUS
DIE 30 AUGUSTI ANNO SALUTIS REPARATAE MDCCCXIV
HORIS ANTE ET POST
030056554

SALISBURGI, TYPIS IOAN. JOS. MAYER, P. M. HARRED.

CELSISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

C A R O L O

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRA-
TIA, EXEMPTAE CATHEDRALIS EC-
CLESIAE LABACENSIS

EPISCOPO

ET

S. R. I. PRINCIPI, EX ILLUSTRISSIMA ET
ANTIQUISSIMA PROSAPIA S. R. I. COMITUM
DE

HERBERSTEIN,

SS. CC. RR. ET APOST. MAIESTATUM
INTIMO ACTUALI CONSILIARIO,

DOMINO DOMINO

ORDINARIO, PRINCIPI, AC MAECENATI
SVO CLEMENTISSIMO etc. etc.

CELSISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

CAROLO

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRA-

TIA, EXEMPTAE CATHEDRAE EC-

CLESIAE LABACENSIS

EPISCOPO

ET

S. R. I. PRINCIPIS, EX ILLUSTRISSIMA ET

ANTIQUISSIMA PROSPERIA S. R. I. COMITUM

DE

HERBERSTEIN,


SS. CC. RR. ET APOST. MAIESTATUM

INTIMO ACTUALI CONSILIARIO,

DOMINO DOMINO

ORDINARIO, PRINCIPIS, AC MARGENATI

SUO CLEMENTISSIMO etc. etc.



CELSISSIME

AC

REVERENDISSIME EPISCOPE

ET

S. R. I. PRINCEPS,

DOMINE DOMINE

MAECENAS ^{AC} CLEMENTISSIME!

etc. etc.



Quamquam ex diversis praesens, qui solio
TUO venerabundus advolvitur, Libel-
lus, TIBI debeatur titulis CELSISSIME ac RE-



VERENDISSIME S. R. I. PRINCEPS, MAE-
CENAS CLEMENTISSIME! nullus est tamen
meo quidem iudicio maior aut honorificentior,
quam quod TE orbis litteratus doctrinae S. Au-
gustini et Thomae vindicem esse acerrimum, fau-
torem benignissimum, propagatorem strenuissimum,
propugnatorem demum solidissimum sciat, laudet,
admiretur; illius inquam doctrinae, quam caelum
laudat: *bene de me scripsisti Thoma: infernus refor-*
midat, tolle Thomam, et dissipabo Ecclesiam: Eccle-
sia commendat ut suam, per R. P. Innocentium VI.
dicentem: ut nullus, qui eam tenuit, inveniatur a tra-
mite

mite veritatis deviasse, et qui eam impugnavit, semper
fuerit de falsitate suspectus, et per Innocentium X.
ubi Augustinus, ibi Ecclesia. Hinc tot flagrantissima
et frequentissima TUA desideria, tot conatus TUI
laudatissimi, tot sollicitudines plus quam paternae
eo tendebant et collimabant unice, ut TUI TUAÆ
potestati subiecti diaecesani genuinis theologica-
rum veritatum principiis praemunirentur, et per-
fecta earumdem cognitione imbuerentur. Hinc tot
saluberrima ^{no} Mandata et Decreta abs TE CELSIS-
SIME PRINCEPS ad TUOS in Universitate Vin-
dobonensi et Graecenſi emanarunt, ut Clerici
TUI

TUI praetermissa ingenua solidam et genuinam da
theologiam exciperent, seu ut verbis R. P. Alex- Au
andri VII. ad Universitatem Lovaniensem me ma
primam, *praeclearissimorum Ecclesiae catholicae Docto-* tu
rum Augustini et Thomae inconcussa tutissimaque dog- nu
mata sequerentur, quo securius, ut ait S. Prosper in on
ep. ad Rufinum, *defaecatissimam ac saluberrimam Evan-* A
gelicae, Apostolicaeque doctrinae intelligentiam conseque- sp
rentur: Et vel ideo boni omnes laetabantur, et si ti
bi et religioni et scientiis gratulaba^{mur}, dum TE fi
VIRUM tam spectatae probitatis, tam profunda n
rerum divinarum scientia, ac singulari rerum agen- r
da m

nam darum experientia et dexteritate ornatum a Pia
lex- Augusta, felici Maria Theresia iusta meritorum aesti-
ex- matrice ad Episcopatum Labacensem evectum in-
octo- tuerentur: neque enim accendunt lucernam, et po-
dog- nunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat
in omnibus, qui in domo sunt. Oportet enim, ut ait
van- Apostolus ad Titum C. i. v. 8. Episcopum esse ho-
que- spitem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, con-
fi- tinentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est,
TE fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sa-
nda na et eos, qui contradicunt arguere; verum enim ve-
en- ro PRINCEPS CELSISSIME, quid horum non
sem-

semper in TE deprehendimus? aut quando deprehendimus, et non simul stupuimus? aut quando stupuimus, et non illico ad imitandum accensi fuimus? vita enim PRINCIPIS, ut praeclare ait Plinius in Panegiri ad Traianum, *Censura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo; melius homines exemplis docentur, quae imprimis hoc in se boni habent, quod approbant, quae praecipunt, fieri posse*: Atque ut a primo ordiar, quis enim PRINCEPS CELSISSIME! vel a longe TE cognoverit, et non simul fassus fuerit virtutes, quae in vultu resplen-

re- splendent TUO de principatu invicem concertare:
do- exigit Apostolus hospitalitatem; hanc non solum
ui- domesticis, verum et incognitis, exteris, peregri-
li- nis ostendis, exigit benignitatem; hanc admirando
me- potius, quam imitando in TE posse adumbrari fan-
rec- tur omnes, qui TE PRINCIPEM OPTIMUM vel
ho- a limine noscendi copiam habuere: quid enim tan-
ni- tae affabilitates, tantae humanitates, favores tanti,
e- tam faciles ad TE accessus, tam generosa in quem-
S- libet indoles, tam velox beneficentia vultusque
et- TUI hilaritas vel in me exterum primo intuitu pro-
e- fusa, dum nec ego, nec TU CELSISSIME PRIN-

CEPS me nosceres, loquuntur aliud, nisi ipsam,
quantus quantus es, hospitalitatem, benignitatem
summam, suavitatem maximam, humilitatem admi-
randam, verbo, delictum generis humani et *formam*
factum gregis ex animo: altae scilicet PRINCES
CELSISSIME! TIBI inhaeret memoriae effatum
illud Principe dignum, *quo maiores sumus, eo de-*
missius nos geramus! et ut alios TUAE potestati sub-
ditos diaecesanos ad has virtutes sectandas exstimu-
lares, ah quoties PRINCEPS VIRTUOSE Apo-
stoli verba repetendo ingeminaſti: *omnia in spiritu*
pacis et caritatis modeste et suaviter sine spiritu alterca-
tionis

tionis aut vanae gloriae, quoties cum eodem Aposto-
lo inclamare solebas: *non plus sapere, quam oportet,*
sapere autem usque ad sobrietatem, neque vanitatis
gratia aut aplausus a mundo acquirendi, sed om-
nia ad maiorem Dei gloriam et utilitatem tum pro-
priam tum aliorum! bene gnarus PRINCEPS EX-
CELSE illius Mathaei: *quaerite primum Regnum Dei*
et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis. Quam
vero PRINCEPS PISSIME sis pius in Deum,
quantamque in illum, qui omnes actiones nostras
moderatur, TIBI diffidens spem confidentiamque
semper collocaveris, comprobant vel illa ultima

post impertitam mihi Episcopalem **TUAM** benedictionem ad me **TIBI** valedicentem, et ad pristinos Musarum lares revertentem directa, et a me inter pias cordis lachrymas non sine maxima aedificatione audita verba, dum me iamiam abeuntem sic affatus es: *ores pro me Deum, ut illo auspicante et adiuvante gregi curae meae commissio feliciter in honorem Dei praeesse possim, nam humeri mei non sunt pares tot oneribus supportandis, nisi ille desursum adiuverit.* O aurea tali **PRINCIPE** dicta, o verba Cedro dignissima, et omnibus imitanda, quos spiritus S. posuit regere *Ecclesiam Dei.* Sed quid postea dicam

cam de tot salutaribus et plus quam paternis christianis documentis et instructionibus tum mihi praesenti, tum absenti per epistolas propria celsissima manu TUA exaratas datis, quas, *ut dent fructum ascendentem et crescentem*, memori gratoque semper recondam pectore, quorumque dum mihi occurrunt, non sine dulci recordor animo et consolatione. Quid dicam de indefessa TUA pastoralis vigilantia in amplissima diaecesi quot annis per TE IPSUM visitanda, in convellendis abusibus, in reliquiarum authenticis investigandis, in restauranda pietate, in praeficiendis idoneis pastoribus, qui
verbo

verbo et exemplo pascant oviculas sibi commissas, in quibus constituendis non personarum Acceptor sed iustus meritorum Praemiator es. Quid dicam de Zelo inexhausto in urgenda exacta sacrorum Tridentini Concilii statutorum observatione? quid de fervore singulari in urgendis christianae religionis rudimentis, ut edoceantur ignari, ut proficiant docti, ut excitentur pigri, ut magis inflamentur solertes, ut currentibus addantur calcaria; quo quidem opere quid potest esse praeclarius, quid religioni, christianaeque plebi utilius? non TE deterrent viarum incommoda, non labores aut mole-

cas, molestiae, caritas enim, quae TE urget, non quae-
tor rit, quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, omnia suf-
am fert, omnia sustinet, omnia vincit. Et quoniam probe
um intelligis, nil esse religioni utilius et istis praeci-
uid pue, quibus nunc vivimus moribus atque tempo-
eli- ribus, nil Ecclesiasticis viris magis necessarium,
ro- quam non vulgarem, sed numeris omnibus pene
m- absolutam rerum divinarum scientiam; non solum
a; TU IPSE assiduis studiis magnam et incredibilem
s, cognitionum copiam TIBI comparasti, verum etiam,
on quantum conniti animo potes, operam imprimis das,

X X X

ut

ut, qui in TUA diaecesi sunt Ecclesiasticae militiae adscribendi, in sacris omnibus disciplinis, ac in iis praecipue, quae tutissima S. Augustini et Thomae placita de gratia per se efficaci, de gratuita praedestinatorum electione, de amoris divini necessitate, de tutiore rerum agendarum regula, de purioribus denique ac genuinis cum fidei tum moralis christianae principiis concernunt, rite sint instructi, quoniam turpe existimas, esse Magistrum in Israel, et haec ignorare, et per modum parvulorum fluctuantium circumferri omni vento doctrinae in

nequitia hominum ad circumventionem erroris. Quae
cum ita sint constituta, quid mirum, quod diaece-
sis TUA brevi hoc tempore, quo a tam sapienti
ac litterato PRINCIPE sapientissime gubernatur,
aliam iam penitus formam induisse videatur; Vos
enim estis sal terrae, quodsi sal evanuerit, in quo sa-
lietur. Conticescunt iam et obmutescunt illa prae-
iudicata, a Logica critica adeo dissona et rudia
conscientiae dictamina, novellae probabilitatis por-
tenta, quae quondam in locis, quae nonnisi sanc-
titas deceret, audiebantur: Layman, Bussembaum,

Escobarius, Sanchez, La Croix, Sporer, Gobat dicunt, ergo res ita se habet, ergo secure operor: sed ut nonnisi ex sacris litteris, ex veteribus recentioribusque Ecclesiae statutis, ex Pontificum, sanctorumque Patrum oraculis nostrarum actionum norma depromatur, sanctissime curas. Pelluntur iam, et ad ultimam thulem usque mittuntur a PRINCIPE, cuius honesto pia voluntas inhaeret pectori, ignobiles illi Casuistarum faetus, quorum si nomina christiana, quae in fronte praeferunt, eradantur, non iam opera hominum christianorum, sed

sed paganorum viderentur, quique, ut bene advertit quidam Sorbonae Doctor, *non in aedificationem, sed in morum destructionem scripti fuisse videntur;* hominibus, quibus sana castaque deest critice quique obvia quaeque plumbea suis abrepti praeiudiciis sine selectu incauti pro auro arripiunt, multum detrimenti et nocumenti, his vero excitatissimis eruditi huius saeculi temporibus emolumenti nil allaturi; probe conscius PRINCEPS CELSIS-
SIME illius proloquii: *felices artes, si soli de iis artifices iudicarent,* sed Carnioliae, quae olim ante

Carolus progressa non est ultra notitiam Laymani, Bulembaumi, Senyei et Gabrini et paucorum aliorum e trivio Caluistarum, qui multo felicius fuissent ignorati, talia instrumenta litteraria coemenda et comparanda praescribis, in quibus comparandis et volvendis nec temporis nec oeris iacturam deplorandam et paenitendam unquam habebit. O singularem tanti PRINCIPIS vigilantiam! cuius quotidie adeo salutaria et pastoralia ostenduntur specimina! o Diaecesin longe fortunatissimam, cui a tam SAPIENTI PRINCIPE gubern-

bernari fors obtigit? Quae cum ita sint, quid mirum PRINCEPS CELSISSIME, quod *felix, pia, Augusta Maria Theresia* TE VIRUM tam magno rerum usu expertum, ac doctrina adeo excellenti praeditum excellentissimo eorum caetui, qui ipsi a sacratoribus consiliis sunt, cooptatum, huiusque rei gratia ad Episcopatum Labacensem promotum vellet, *ut ea, quae desunt, corrigas.* Sed quam multa adhuc virtutum TUARUM argumenta proferre possem, nisi humili modestiae TUAE, qua me *in sublimitate sermonis venie* prohibuisti, quaeque summa

ma in TE est, omnemque humanae laudis umbram
refugit, parcendum foret, omnisque a me assenta-
tionis tam exosae TIBI suspicio amovenda. Ta-
ceo igitur fulgentissima virtutum TUARUM de-
cora, aliisque concelebranda relinquo, qui feliciori
ingenii vi et graviori linguae facundia praediti
virtutibus TUIS enumerandis, si non pares, ta-
men me aptiores esse invenientur: et tanto fiden-
tius taceo, quanto certius TE Ecclesia experitur
suos inter defensores constantissimum, quanto gra-
vius doctrina catholica TE laudat propugnatorem
acerri-

acerrimum, quanto vehementius error TE timet
hostem et inimicum fortissimum atque prudentissi-
mum, quanto laudabilius TE scientiae omnes ve-
nerantur Patronum beneficentissimum, et Restaura-
torem vigilantissimum, quanto demum clarius TE
orbis admirabundus intuetur virtutis omnis et
aemulum et exemplar. Quae cum ita se habeant,
nihil mihi superesse arbitror, quam ut TE CLE-
MENTISSIME PRINCEPS orem atque obtester,
ut hoc industriae meae specimen, quod eo cultu
atque animi submissione, quae TIBI subiectissimos

(X (X (X (X

de-

deceat, CELSISSIMO NOMINI TUO nuncupa-
re ausus fui, clementissime suscipias, et Tiaræ
TUAE fulgore perpetuo tuearis. Leve quidem,
id fateor, quid enim magnum et TANTO PRIN-
CIPE dignum in me inveniam? sed tamen, quon-
iam gratissimi animi tesseram et subiectissimi re-
spectus monumentum non solum ego infimus, sed
et *Alma S. Caroli Universitas Salisburgensis* (quæ
quondam, dum illius fuisti splendor et orna-
mentum, suspexit admirabundi celsissimum animi
TUI decus et adhucdum non sine dulci desiderio

cre-

crebris usurpat sermonibus, atque fideli grati ani-
mi memoria perpetuo celebrabit) erga TE esse vo-
luimus; tamen inquam magnum TUA Clementia
evadet, quae solis instar non sublimes modo tur-
res, sed humiles etiam casas fulgore suo collu-
strat. Suscipe igitur hanc lucubrationem theo-
logicam, quam sub celsissimis auspiciis TUIS in
arena litteraria propugnandam suscepi, suscipe!
vultuque benigno confove exile munus, et in
exiguo dono, quod filiali affectu offertur, arden-
tissimum ac paratissimum placendi semper ac ser-

viendi animum agnosce! imitare solis amabilem
benignitatem, qui gramina etiam vilia suo non-
nunquam irradiat lumine, aut esto de eorum nu-
mero, qui cum sint summi et maximi, ad infi-
ma quandoque descendunt, ut ex his sublimita-
tem et altitudinem suam metiantur! Suscipe,
quam ego et mecum *Universitas Iuvaviensis* demis-
sissimo pectore imolamus, ut illa nomine TUO
insignita *Universitatem* hanc in dies magis magis-
que ad invidiam aliarum splendere et coruscare
faciat: Nos vero quotidie superos precati, et pre-
caturi

APPROBATIO
FACULTATIS THEOLOGICAE

Proponitur dissertationem, in qua continetur, de
et Thomae doctrina contra ingentem indolem scientiarum
medicæ, prædilectam, et gratias efficaciae ingenio vindicantem
tunc, legi, quæcumque nihil in ea, quod hanc doctrinam, aut
libel vel morum dogmatibus adversetur, sed omnia potius
ex genuinis Theologicis fontibus hausta reperimus, dignam
censuram, quæ publicè iuris sit. Salsburgi 29. Iulii 1773.

caturi semper, ut salutem TUAM, cui falus cae-
terorum innixa est, incolumem perpetuo, floren-
temque Reipublicae Ecclesiasticae bono, bonorum-
que omnium solatio in longissimam annorum
seriem nobis conservent.

REVERENDISSIMAE AC CLE-
MENTISS. CELSITUDINIS TUAE.


Devotissimus ac obsequentissimus
Cultor,
defendens subiectissimus.

ADPROBATIO

S. FACULTATIS THEOLOGICAE

Praesentem dissertationem, in qua genuina SS. Augustini et Thomae doctrina contra ingenuam indolem scientiae mediae, probabilissimi, et gratiae efficacis ingenue vindicatur, legi, quumque nihil in ea, quod sanae doctrinae, aut fidei vel morum dogmatibus adversetur, sed omnia potius ex genuinis Theologiae fontibus hausta reppererim, dignam censeo, quae publici iuris fiat. Salisburgi 29. Iulii 1773.

P. Anselmus Rittler, Benedictinus
VVeingartensis SS. Theol. Doctor,
et in moralibus Professor
ord. Celsiss. ac Reverendiss. S.
R. I. Principis et Archiepiscopi
Salisburg. Consiliarius Eccle-
siast. S. Facultatis p. t. Decanus.



Ad

Benevolum Lectorem

PRAEMONITIO.



*Annis abhinc quatuordecim Augustae Vindelico-
rum typis Riegerianis prodiit Libellus, cui
Titulus: Ingenua Indoles Scientiae mediae,
Probabilissimi, et gratiae efficacis, opus Historicis, Criti-
cis, Theologicis animadversionibus distinctum, a P. Franc.
Xaverio Mannhard S. I. Theologiae nuper in universitate
Oenipontana Professore ordinario publico, in tres partes
distinctum.*

*Quamquam Clarissimo P. Authori semper honor, no-
menque suum, laudesque mancant, neque nobis unquam sit.*

A

ani-

animus, eiusdem Personam, quam in visceribus Charitatis amplectimur, vel verbo laedere; Causam tamen ab Eodem bona fide susceptam eo minus probare possumus, quo magis Anno primum elapso per Theoremata quaedam Dogmatico-Polemica typo Iuvavensi commissa adlaboravimus, ut illam pluribus e titulis Ecclesiasticae Civitatis iure indignam esse ostenderemus.

Ulteriore hoc Anno nobis addidere Stimulum Sacratioris cuiusdam Apollinis et Litteratorum Principis excelsi vota, quibus coelestem S. Augustini, et Angelicam D. Thomae Aquinatis doctrinam, praeprimis circa delicatam adeo et salebrosam de gratia et libero arbitrio, de Scientia et Praedestinatione Divina, deque genuina morum doctrina materiam, servari cupit inviolatam.

Eum in finem Ingenuae Indoli Scientiae mediae, Probabilissimi et gratiae efficacis praesentem genuinam Indolem Doctrinae Ecclesiasticae de praedictis materiis obponere placuit, ut vel ex ipsa, ut praesertur, Ingenua Molinismi et Probabilissimi Indole colligere fas sit, num ad constituendam Doctrinam quandam Ecclesiasticam ea sufficiat, quae, cum quomocunque demum sit Ingenua, simul tamen in suis Principiis non sit genuina.

Author quidem ipse, quem ex partu suo litterario vocare placet Ingenuum, Indolem sui Molinismi et Probabilissimi

isimi propterea dicit esse Ingenuam, quia imo in propriis defendendis, et alienis placitis refutandis est vivax; quia 2do est libero Homine digna, dum in nullius verba Magistri irrare solet; 3tio, quia in tuenda libertate tum Divina, tum humana, et moribus hominum instituendis est prorsus innocua; ac tandem 4to, quia aperta fronte in lucem prodit, nec diverticula quaerit, nec per ambages obscurorum sensuum ac phrasum ingreditur, nec Chamaeleontis instar identidem colorem mutat, multo minus priscorum errorum venenum, sub melle recentis doctrinae propinat, proindeque ab omni fraude et fuce est aliena. Sic ille in suae Indolis praefatione.

At vero, quid vivacius Donatistarum, Arianorum, Macedonianorum, Manichaeorum, Iconoclastarum Haeresibus? ubi pro tuendis propriis, et obpositis placitis impugnandis, dum calami defecerant, gladios arripuit, aut insidias struxit ingeniosa vivacitas; nec antiquis tantum, sed et nostris temporibus tristia huiusmodi vivacitatis exempla vidimus; non igitur Ingenuitatem Doctrinae certo designat nota illa, quae nonnunquam etiam haereticae pravitatis, contumaciae, superbiae, inobedientiae, ac furoris solet esse indicium.

Qui praeterea Molinismi ac probabilismi doctrinam libero homine dignam asserit, edisserat quaesumus, quisnam vocandus sit liber Homo? an Ille, qui liberis natus Parentibus, potentia, opibus, et libertate civili gaudet? haud credimus; nam et servis et pauperibus evangelizare veritatem

debet, quia in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive gentiles, sive servi sive liberi. 1. Cor. 12. alias enim videremur nostra quaerere, non autem quae sunt IESU CHRISTI. Philip. 2. an ille, qui periculosae libertatis amans dicit: non serviam? at vero, si tali hominum genere digna foret Molinismi et Probabilismi doctrina, de Illius profecto Ingenuitate foret penitus conclamatum; oportet equidem Christianum Hominem esse liberum, sed ea libertate, qua Christus nos liberavit, Galat. 4. oportet esse ingenuum, sed ea ingenuitate, de qua B. Agatha: summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur, quodsi autem, ut supponimus, libertatem non voluntatis tantum a necessitate, sed et cordis ab impietate requirat Author ingenuus, tum enimvero grandis adhuc restat quaestio, deinceps enodanda, an talis ingenuitas soli Doctrinae Molinisticae competat? an Doctrina S. AUGUSTINI vel D. AQUINATIS libertati voluntatis praeiudicet? an non potius Probabilismus libertatem cordis pessumdet?

Pariter in regulas Logicas impingit, dum ponit in definitione, de quo litigatur, dumque veluti certum supponit, quod primum est in quaestione; videlicet suam, et Societatis doctrinam, omni ex parte innocuam esse; Doctrinae novae, ac nuper primum a privatis hominibus excogitatae Innocentia non supponi, sed probari debet; praecipue si talis doctrina sit, in quam olim satis magna et publica erroris cecidit

suspi-

suspicio, quaeque, si ex fructibus dijudicanda sit, vix inter arbores bonas inveniet locum.

An denique praeclaudata Molinismi et Probabilismi doctrina ab omni fraude et fucō aliena sit? Illorum erit asserere vel negare, qui, quae a P. Lainezio iuxta Pallavicinum Lib. 8. cap. 13. in Concilio Tridentino, a P. Gregorio de Valentia in Sessione 11. de Auxiliis die 30. Sept. 1602. a P. Gabriele Thirioux Rhemis in Gallia die 5. Dec. 1696. in Theſibus publicis apud le Blanc in Praefat. §. 4. quaeque aliis temporibus in Causa Molinismi, Iansenismi, Probabilismi, ritus Sinenſis, Ioannis Parvi etc. acta sunt, paulo adtentius perlegerint; cumque turpe sit, eſſe iudicem in propria causa, Illorum, penes quos est iudicandi potestas, Iudicio relinquamus, utra ex duabus, an S. AUGUSTINI, et ANGELICI DOCTORIS, an rero Molinae ac Probabilistarum Doctrina, Chamaeleontis instar itentidem colorem hactenus mutarit, aut priscorum errorum venenum sub melle recentis doctrinae propinare sit solita, sicque ab omni fraude et fucō aliena vocari possit.

Esto autem, Molinismi ac Probabilismi doctrinam ingenuam eſſe; an id ad fundandam cuiusdam doctrinae veritatem sufficiet? haud equidem existimamus; nam praetensae ingenuitatis notae, ut paulo ante ostendimus, etiam rebus non genuinis, spuris et falsis competere possunt; nec Ecclesia un-

quam erroneis doctrinis ingenuam, sed semper genuinam, id est, fonti suo congenitam obponere consuevit, imo multas hucusque filias, quae ingenuam praeseferebant faciem, non agnouit ut suas, eo quod genuinam probare nequiverint nativitatem.

Praetermissis igitur criterii regulis aliunde notis, et gravissimis querelis illis, quas Author ingenuus in sua praefatione contra quendam P. Gundisalvum Kaltenhauser ex Ordine Praedicatorum Studii Bulsanensis, et eiusdem Theologiam Thomisticam nuper editam conglomerat, quarum iudicium, quantum ad forum et Scopum nostrum pertinere videntur, in decursu feremus, rem ipsam adgredimur, et Ingenuae Indoli Scientiae mediae, Probabilismi, et gratiae efficacis, genuinam Indolem doctrinae Ecclesiasticae obponentes, eam pariter in tres partes, suis iterum capitibus et §§. interpolatas discernimus, in prima illarum de Scientia media, in altera de Probabilismo, in tertia de gratia efficaci pertractaturi.

Quemadmodum vero publice protestamur, nos in hisce pagellis nihil prorsus contra fidem Romano-Catholicam, bonos mores, aut constitutiones SS. Pontificum docere vel dicere velle, imo, si quid tale properanti calamo excidisset, pro non scripto haberi desiderare; ita quoque Lectorem benevolum obtestamur, ut pro genuina Ecclesiae doctrina communi hactenus et recepta pugnantes aut consilio adjuvet, aut instructione corroboret, aut benigno saltem favore consueat.



PARS I.

DE SCIENTIA MEDIA

CAPUT I.

*Qualis in Deo admitti possit, vel debeat
Scientia?*

§. I.

Absque Ideis claris atque distinctis nullam
haberi posse scientiam, rectamque re-
rum cognitionem, in confesso est apud
omnes; sicut enim perspecta probe
Scientiae mediae Idea, ut sperat Author inge-
nuus, sponte sua corruet falsissima illa Idea huius
Scientiae, quam e Lovaniensium Doctorum censura
nonnulli hauriunt, et hauriendam aliis propinant; ita
vicissim et nos speramus, perspecta probe doctrina
Ecclesiae circa Dei Scientiam, sponte sua disparitu-
ram

Cognitio
omnis re-
quirit Ide-
am claram
atque di-
stinctam.

ram Ideam illam falsissimam, quam ex Molinae systemate sibi formant Medistae, aliosque informant.

et Prae-
fationem, si
de Scientia
Dei sit ser-
mo, quae
vel visio-
nis, vel
simplicis in-
telligentiae
dicitur,

§. II. Incomprehensibilem Dei Scientiam ob arctos capacitatis humanae limites quasi per partes considerandam esse, et hac ratione iam dudum a SS. Patribus, Doctoribus, atque Theologis consideratam fuisse, nemo est, qui ignoret; hinc illa in *Scientiam simplicis Intelligentiae*, qua possibilia, et in *Scientiam visionis*, qua res in aliqua temporis parte existentes cognoscuntur, divisio; hinc diversae illae Theologorum de medio Divinae Scientiae concertationes.

novissime
autem et
media,

§. III. *Verum duplici huic Scientiae (sunt ip-
siusmet Authoris Ingenui verba) cuius solius nomen
diu in Scholis audiebatur, quaeque solae prima sub-
sellia occupare sunt visae, cum tempore tertia accessit,
caepitque vocari Scientia media, per Ludovicum Mo-
linam S. I. Theologum si non excogitata, saltem ab
anno 1588. per suum de concordia liberi arbitrii cum
gratia Divina librum Ulyssippone typis mandatum
publice divulgata.*

quae ta-
men nec in
SS. Litter-
ris,

§. IV. Non possumus autem consentire prae-
laudato Authori, dum Scientiam istam non tam a
Molina inventam, quam potius e SS. Litterarum et
SS. Patrum autoritate depromptam, ac veluti e te-
nebris protractam asserit; quod enim SS. Litteras
adinet, ibi nil nisi Textus eiusmodi reperimus, qui
de futuris quidem conditionatis, seu prout vocant,
futuribilibus, non autem de divina illorum Scientia
loquuntur, quales v. g. habentur 1. Reg. 23. de
proditione Davidis, 4. Reg. 15. de sagittatione Re-
gis Ioae, Sap. 4. de raptu iusti, Ierem. 38. de oc-
cursu

occurſu Sedeciae Regis, Luc. 10. de paenitentia Tyriorum etc. quos et ſimiles Scripturae Textus iam a quindecim Saeculis ante Molinam novit, intellexit, et explicavit Eccleſia, quin ad Scientiam quandam intermediam confugere debuerit, quique abſque omni abſurdo per Scientiam ſimplicis intelligentiae hactenus explicati fuerunt, et etiamnum explicantur; ad quid ergo ingenioſa illa Molinae novitas, qua Eccleſia hucusque nunquam indiguit?


§. V. Multo minus probari poterit, Molinae Scientiam mediam e SS. Patrum Authoritate depromptam fuiſſe; quinam enim ſunt Illi Patres? cur illos nec citare, nec nominare quidem dignatur Author Ingeniuſus? *Laudemus viros glorioſos*, inquit utique Scriptura, et Parentes noſtros in generatione ſua; imo vel ipſa gentilium Philoſophia docet, ingenuum eſſe fateri, per quem profeceris; cur igitur ne unum quidem SS. Patrum allegat, unde ſuam, ut praefertur, Ludovicus Molina doctrinam hauſit? at ſcio, quid obſtet, Patres ante S. AUGUSTINUM hac de materia clare ſcripſerunt nihil, quia deſuit occaſio; unde ipſemet Hipponenſis Praeſul L. de Praeſt. SS. cap. 14. *quid opus eſt*, inquit, *ut eorum ſcrutemur opuscula*, qui, priuſquam iſta haereſis (Pelagiana) oriretur, non habuerunt neceſſitatem, in hac difficili ad ſolvendum quaestione verſari? quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogentur; Patres autem, qui AUGUSTINI ſequebantur tempora, Eiuſdem quoque ſequebantur doctrinam, doctrinae utique Medistarum ſumme contrariam; unde mirum non eſt, neminem ex Illis in Molinae favorem citari poſſe; quid, quod Author Ingeniuſus ipſimet ſuo Molinae iniuriam faciat, dum Eiuſdem

nec in SS.
Patribus,
ſuffragium
invenit.

doctrinam e SS. Patribus depromptam asserit, Molina interim Scientiae mediae inventionem sibi soli tanquam primo Authori arrogante; en ex Ipsius concordia Q. 23. art. 4. propriam confessionem; *haec nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum Divina praedestinatione a nemine, quem viderim, hucusque tradita est.* Tantum igitur abest, Scientiam mediam e SS. Patribus depromptam, adeoque genuinam Illorum filiam esse, ut potius Illis invitis et contradicentibus e solius Molinae cerebro nata sit.

22 al con
Qui potius
illi contra-
riantur,
praesertim
S. Augusti-
nus,

§. VI. Longe aliter quippe SS. Patres de hac Scientia futuribilium conditionatorum seu media (Ipsis proinde non incognita) loquuntur; Hos inter AUGUSTINUS Lib. 1. de orig. An. cap. 12. *quid, inquit, quod ipsa exinanitur omnino praescientia, si, quod praeseitur, non erit; quomodo enim recte dicitur futurum, quod non est futurum? et in Psal. 105. quomodo futura dicuntur, quae nulla erunt? cum igitur ne futura quidem sint, sciri a Deo ut futura non possunt.* dein lib. 26. contra Faustum Manich. cap. 4. Porro, si audiam, quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit ne fieret, fidissime respondebo: illud potius futurum erat, quod Deus fecit, non illud, quod si futurum esset, hoc fecisset; unde tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta, quae praeterita; quoniam non est in Dei voluntate, ut eo sit aliquid falsum, quo verum est; quamobrem ea, quae vere futura sunt, fient sine dubio, si autem facta non fuerint, futura non erant, sed mere possibilia. quibus verbis ostendit, ad explicandos Scripturae Textus §. 4. citatos nullam prorsus esse necessitatem, praeter Scientiam simplicis Intelligentiae ac visionis fingendi mediam.



Mo-
foli
sius
haec
Divi
ucus-
me-
nuis
is et
fit.
hac
Ipsis
AU-
in
, si
dici-
105.
cum
tura
nich.
erat,
i po-
quod
ssunt
prae-
eo sit
quat
non
qui-
Tex-
tem,
ionis

§. VII. Idipsum confirmat S. PROSPER in S, Prosper
Ep. ad Aug. n. 5. ubi, cum de parvulis absque
Baptismo decedentibus Semipelagianorum retulisset
sententiam, eos nempe perdi, quia Deus illos prae-
vidit malos futuros, si ad annos discretionis venissent,
respondet: non considerant, se gratiam Dei, quam
COMITEM, non PRAEVIAM humanorum volunt
esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas
ab ea secundum suam phantasiam non negant esse prae-
ventas; sed in tantum quibuscunque commentitiis me-
ritis electionem Dei subiiciunt, ut, quia praeterita
non existunt, futura, quae non sunt futura, confin-
gant, NOVOQUE apud illos ABSURDITATIS GE-
NERE et non agenda praescita sint, et praescita non
acta sint. hinc etiam in responsione ad Capitula Gal-
lorum de Scientia Dei loquitur: qui praescientiam
Dei in nullo ab Ipsius praedestinatione secernit, quod
tribuendum est Deo de bonis, hoc Ei etiam de malis
conatur adscribere; sed, cum bona ad largitorem
Deum, mala autem ad voluntariam rationalis natu-
rae nequitiam referenda sint, dubium non est, Deum
et praescivisse simul, et praedestinasse, quae Ipso erant
Authore facienda, vel quae malis meritis iusto iudicio
tribuenda erant; praescivisse autem tantummodo, non
etiam praedestinasse, quae non ex ipso erant causam
operationis habitura; potest itaque sine praedestinatione
praescientia esse, praedestinatio autem sine praescientia
esse non potest. dum econtra longe aliter Ludovicus
Molina iuxta praestabilitum suum Scientiae mediae
systema Q. 23. art. 4. totam certitudinem Divinae
Praedestinationis, non in decreto, quo Deus homi-
nem ad bonum praedestinat, sed in praescientia, qua
id praevidebat, collocare, et ibid. Disp. I. membr. II.

asserere non dubitat: sicut praescientia pendet ex eo, quod arbitrium creatum sit cooperaturum, ita etiam quod Decretum rationem Praedestinationis sit sortitum, ex eo fuit dependens, quod arbitrium pro sua libertate esset cooperaturum. ex AUGUSTINO igitur et PROSPERO, praecipuis illis Divinae gratiae Strategis Scientia media depromi non potuit.

S. Fulgentius.

§. VIII. Audiamus autem et S. FULGENTIUM, qui Lib. 1. de Praedestinatione et gratia cap. 7. hunc in modum perorat: secundum rectam fidem, et perspicuam veritatem, quod adinet ad parvulum, qui sine beneficio secundae nativitatis huic vitae subtrahitur, sicut praescivisse fatendum est Deum parvuli mortem futuram, quae vere futura erat, sic absurde dicitur, Deum praescivisse parvuli futura peccata, quae futura non erant; (huic autem futuribilibi Massilienses potissimum innitebantur) neque enim Deus rerum omnium Conditor facienda praescivisset, quae facienda non essent; scimus namque praescientiam Dei sic esse veram, et incommutabilem, ut, quae futura praescit, vere futura sint, nec aliquid faciendum praesciat, quod non secundum praescientiam Eius fiat. Rerum autem non earum, quae futurae non sunt, sed quae faciendae sunt, praescientiam Deo inesse, liber Danielis Prophetae testatur his verbis: Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia, antequam fiant. dein cap. 8. prosequitur: absurde itaque dicitur, quod praescierit parvulum, si viveret, impium futurum, quem profecto non plus, quam vixit, praescivit esse futurum, quem utique praescivit, ad aetatem, qua impie viveret, non esse venturum, quia eum in aetate infantili de saeculo veraciter noverat auferendum; post pauca: futurae enim aetatis non absur-

de praescita dicuntur opera vel bona vel mala, absurde autem praescientia cuiusquam humani operis in aetate asseritur, in qua futurus homo ipse non esse monstratur - - caeterum, quisquis Deum praescium putat futurorum operum, quae tamen futura non fuerant, restat, ut praescientiae Dei, quam utique non negat veracem, aliquam inesse, quod absit, aestimet falsitatem; falsum est enim, futurum esse aliquid, quod praesens non erit; Dei autem Scientia nihil in se habere potest falsi, quia falsitas inesse veritati non potest. Praescientia igitur veritatis, quae in se non recipit falsitatem, sicut faciendum praescit, quod faciendum est, ita non faciendum, quod faciendum non est - - Dei enim praescientia nullatenus fallitur, quia sicut faciendum praescivit Mundum, et sic eum fecit, quemadmodum esse faciendum praescivit, sicut in ipso quoque Mundo singula, quae facta sunt, fiunt, vel facienda sunt, ita semper facienda fuerunt in Dei praescientia, quemadmodum sunt in opere consecuta, aut secutura; non ergo Deus praescivit faciendum a quolibet homine, quod facturus homo non fuit.

§. IX. Plura SS. Patrum testimonia proferre super vacaneum duximus, quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum; et cur plura proferamus, cum Author Ingenuus ne unicum quidem protulerit, unde constare posset, Scientiam mediam e SS. Patrum doctrina derivatam fuisse? nunquid ex his allegatis ad oculum patet, nullam prorsus aliam, praeter Scientiam visionis quoad vere futura, et simplicis intelligentiae quoad nunquam futura, seu mere possibilia, fuisse a SS. Patribus admissam, e contra vero Scientiam futuribilem, seu rerum a conditione nunquam extitura pendentium, a Semipelagianis

et Alii, qui unanimiter Scientiam mediam receperunt;

nis tantopere iactatam, velut absurdam, falsam, inutilem, et in Deum iniuriosam uno quasi ore condemnatam fuisse; ita certe de S. AUGUSTINO S. PROSPER lib. contra Collator. viginti amplius annis contra inimicos gratiae Dei catholica acies huius Viri ductu pugnat et vincit; vincit, inquam, qui non patitur respirare, quos vicit, et in quorum excidium UNAM CUNCTORUM SACERDOTUM MANU sententiam scripsit.

imo vel
ipsa paritas
Auctori
suo praeiudicat.

§. X. Quid autem iocularis illa SCIENTIAE MEDIAE cum Helena Graecorum comparatio? aut quaenam pugnae nostrae Litterariae cum bello Troiano convenientia, quam Ingenuus Auctor ad finem §. imi adducit? Helenam fuisse vivacem, pulchram, amabilem, iuvenem, et moribus facilem, Graecorum si non Historia, saltem fabula probat, sed si mul refert, fuisse adulteram; hanc Helenam ut retinerent, vivacissime Troiani, ut punirent invictae pugnarunt Graeci, eo videlicet effectu, qui Graecis in praemium iustae causae Victoriam, Troianis vero cunctis ob adulterae defensionem intulit excidium; infelix profecto paritas, quae proprium suum Auctorem stringit.

Argumentis e Scriptura pro Scientia media petitis,

§. XI. Sed pergit Ingenuus Auctor §. 2. ex variis Scripturae textibus supra citatis ostendere necessitatem, praeter duas reliquas etiam tertiam, seu mediam illam scientiam admittendi; „qua enim ratione „inquit, potuisset tam asseveranter Deus respondere „Davidi, Viros Ceilae eum tradituros Sauli, si per „maneret in ea civitate? qua ratione Servator Beth „saitis et Corozaitis exprobrare cordis duritiem „allato Tyrionum et Sidoniorum exemplo, qui pae-



nitentiam fuissent acturi, si eadem, quae ipsi, signa et prodigia vidissent? Qua ratione Propheta Regi palam edicere, Syriam ab Ipso penitus delendam fuisse, si quinquies aut septies terram iaculo percussisset? qua ratione Spiritus S. per os Sapientis praefagire, quod dilectus, si vitam produxisset diutius, a pristina virtutis semita descivisset etc. qua inquam ratione potuissent haec a Deo, Christo, et Spiritu S. falli ac fallere nesciis pronuntiari, nisi ea penitus cognita et perspecta habuissent? “

§. XII. At vero liceat et nobis interrogare, qua ratione argumenta isthaec e Scripturis petita cum Systemate Moliniano cohaereant? iuxta Molinam quippe Deus ex pacto inter Patrem et Christum inito illis dare promisit gratiam, quos gratiae consensuros per Scientiam mediam praevidebat; vel ergo Deus praevidit, Sidonios atque Tyrios (par autem est ratio de aliis huiusmodi futuris conditionatis) fore convertendos, si visuri sint signa et prodigia? vel non praevidit? si praevidit? cur ergo pactum ab aeterno initum non servavit? cur eos in iis circumstantiis non collocavit, ubi consensuros praescivit? cur gratiam consensuris promissam non est largitus? si autem non praevidit? *qua ratione Servator Bethsaitis, et Corozaitis cordis duritiam allato Tyriorum et Sidoniorum exemplo, qui paenitentiam fuissent acturi, si eadem, quae ipsi, signa et prodigia vidissent, exprobrare potuit? nunquid hoc idem esset, ac Deum in illo casu perfidum ac iniustum, in isto autem dolosum ac mendacem dicere, in utroque autem Molinismum falsitatis arguere?*

Obviatur
imprimis
retorquen-
do,

Dein re-
spondendo
in forma e
SS. Patri-
bus.

§. XIII. Sed respondemus in forma, omnia ista futura conditionata, seu futuribilia hucusque semper ad scientiam simplicis intelligentiae relata fuisse; quia, quod ipsa conditio nunquam futura fuerit, actio quoque ab illa dependens hoc ipso etiam inter futura non sit referenda, prout e iudicio satis claro SS. Augustini, Prosperi, et Fulgentii supra retulimus; quid enim absurdius, imo in Divinam Scientiam iniquius dici posset, quam, a Deo praesciri quomocunque futurum, quod nullo modo futurum erat? *nam ea, quae vere futura sunt, fient sine dubio, si autem facta non fuerint, futura non erant, sed mere POSSIBILIA.* S. Aug. Lib. 26. contra Faust. Manich. futuribilia igitur Massilien- sium, etsi frequenter Augustino fuerint obiecta, proindeque nullatenus incognita, non ad Scientiam quandam intermediam, sed ad Scientiam simplicis intelligentiae, seu mere *possibilium* spectant. in specie vero ad illum Sap. 4 textum: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* respondet Lib. de Praedest. SS. cap. 14. *dictum est enim secundum pericula vitae huius, non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non, quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* de hac quippe vita legitur in libro Iob. nunquid non tentatio est vita humana super terram? *sed quare aliis concedatur, ut ex huius vitae periculis, dum iusti sunt, auferantur, alii vero iusti, donec a iustitia cadant, in eisdem periculis vita productione teneantur, quis cognovit sensum Domini? et tamen*

hinc
pios
vitae
in D
vitae
eius
iustu
tem
cade
inscr
istuc
non
lica
id a
SEL
secun
qua
in e
se S
pate
text
non
tatu

hui
diti
inte
infi
Dec
tan
qui
tis,
vol



hinc intelligi datur, etiam illis iustis, qui bonos et
 pios mores usque ad senectutis maturitatem, et diem
 vitae huius ultimum servant, non in suis meritis, sed
 in Domino gloriandum esse; quoniam qui vitae bre-
 vitate rapuit iustum, ne malitia mutaret intellectum
 eius, Ipse in quantacunque vitae longitudine custodit
 iustum, ne malitia mutet intellectum eius; cur au-
 tem hic tenuerit casurum iustum, quem, priusquam
 caderet, hinc posset auferre? iustissima omnino, sed
 inscrutabilia sunt iudicia Eius. haec Ille, qui caput
 istud hisce verbis notatu dignis concludit: quoniam
 non debent fratres nostri, qui nobiscum pro Catho-
 lica fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, - - -
 id adstruere, quod **NON DICO CREDITURUM,**
SED SOMNIATURUM NEMINEM putaremus,
 secundum ea scilicet iudicari quemquam mortuorum,
 quae gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset.
 in eandem autem Sententiam cum S. Augustino iu-
 se SS. Prosperum et Fulgentium ex antea relatis
 patet; ut adeo ad solvendos huiusmodi Scripturae
 textus in quadam Scientia media refugium quaerere,
 non Patribus catholicis, sed solis Massiliensibus usu-
 tatum fuerit.

§. XIV. Quotiescunque igitur in SS. Litteris de
 huiusmodi futuris conditionatis, quorum tamen con-
 ditio nunquam futura erat, fit mentio, id semper ita
 intellectum fuit a SS. Patribus, quasi Deus humanae
 infirmitati sese volens adcommodare, ex re, coram
 Deo, tantum *possibili*, iuxta humanum tamen cogi-
 tandi, et agendi modum valde *probabili*, et recte
 quidem sit argumentatus; sic Bethsaitis et Corozai-
 tis, durae utique cervicis populis, Christus dicere
 Voluit: signa et prodigia, quae vos inter patravi,

et ratione
 Theologi-
 ca imo,

tam evidenter, tamque pathetice meam demonstrant Divinitatem, ut per se loquendo, et iuxta ipsorum met hominum iudicium vel ipsi etiam gentiles Tyrii atque Sidonii, etsi nulla sit ipsis, quemadmodum vobis, Religio revelata, procul dubio se convertissent; huiusmodi autem argumenta ex hypothese aliqua mere possibili ducta non modo nobis hominibus usitata, verum etiam emphasi non modica esse praedita, nemo ignorat; sic enim cum excessivam hominis iracundiam exprimere volumus, eum Superos inferosque commoturum, si posset, dicimus; si loquamur de ambitione vel fastu cuiusquam, talem supra nubes et astra sedem collocaturum, si posset, solemus dicere; si rem valde tristem commemoramus, ea plerumque utimur loquendi formula: Saxa etiam ad commiserationem, si sensum haberent, commoverentur; huiusmodi phrasium exemplis plena sunt et Sacrorum et profanorum Scriptorum volumina; quale fuit etiam illud, quod S. Augustino adscribi solet: *si ego Deus, et tu Augustinus esses, facerem, ut tu Deus, et ego sim Augustinus*; vel illud S. Francisci Salesii: *quamquam scirem, me in aeternum damnatum esse, Deum tamen in inferno etiam non cessarem diligere*; imo et illud Iobi cap. 13. *etiamsi occiderit me, in Eum sperabo*; nunquid Deus non esse Deus, aut in inferno diligi, aut spes etiam post mortem remanere poterit? non igitur *futurilitatis* cuiusdam, sed flagrantissimi amoris, et firmitatis spei haec fuerunt indicia, neque Christus quid aliud, quam enormem Bethsaidarum et Corozaitarum pertinaciam exprimere voluit.


Secundo,

§. XV. Praeterea, non minus in Theologicis, quam Philosophicis manet inconcussum Principium istud;



istud; quodlibet est, vel non est, ita, ut inter esse et non esse ne fingi quidem cum fundamento in re possit aliquod medium; cum ergo futuribilia Molinistica nec unquam futura, nec mere possibilia, adeoque nec proprie loquendo entia, nec non entia dicantur, plane consequitur, Molinisticam illam Scripturarum expositionem in ipsa etiam et prima quidem principia Methaphysica impingere.

§. XVI. Deinde necessitas utique nulla fuit, Tertio,
ad cognoscenda huiusmodi futuribilia Scientiam quandam intermediam excogitare; si enim Augustinus, si Prosper, si Fulgentius, si Doctor Angelicus hanc in Deo cognitionem per solam scientiam simplicis intelligentiae salvare poterant, cur non et Molina? et de illis quidem aliunde constat, eos in exponendis huiusmodi Scripturae textibus media quadam Scientia, licet e Semipelagianorum obiectionibus sibi notissima, non tantum non indignisse, sed et illam penitus repudiasse; de S. autem Thoma Aquinate praeclarum hanc in rem habemus testimonium, dum I. P. Q. 14. art. 9. interrogat, ac sibimet ipsi respondet: *Horum, quae actu non sunt, est admittenda quaedam diversitas; quaedam enim licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt; et omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis - - - quaedam vero sunt in potentia Dei vel creaturae, quae tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiae.* ad quid ergo Scientia media, si huiusmodi futura conditionata sine omni difficultate per scientiam simplicis intelligentiae explicari possunt?



Quarto,

§. XVII. Scientiam porro mediam sive antiquam sive novam dixeris, utrobique nobis illam suspectam facis; si *antiquam*? eam nec apud Augustinum, nec apud Prosperum, nec apud Fulgentium, nec apud alios Massiliensium impugnatores reperies, nisi quatenus ab his pro sui systematis fundamento iacta, ab illis autem ut inutilis reiecta fuerat, prout vel ex ipsis Prosperi et Hilarii Epistolis ad Augustinum clarissime patet; si *novam*? eo ipso in foro Theologico ius civitatis non promeretur, ubi novitas omnis debet esse suspecta; terret enim nos Apostolus 1. Tim. 6. inquit: *o Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum, multoque magis sententiarum, novitates, et obpositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Terret nos Tertullianus, dum Lib. de praescript. cap. 31. docet: *ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum.* Terret insuper Vincentius Lirinensis in commonitorio cap. 22. nos monens: *depositum est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; res non ingenii sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis; res ad te perducta, non a te prolata, in qua non author esse debes, sed custos, non institutor sed sectator.* denique cap. 24. *profanas, inquit Apostolus, vocum, id est, dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quae sunt vetustati et antiquitati contrariae, quae, si recipiantur, necesse est, ut fides beatorum Patrum aut tota, aut certe magno ex parte violetur.*



§. XVIII. Sed neque curamus extremum illud Molinistarum effugium, sensum Ludovici Molinae male a nobis intelligi ac peius interpretari; quasi vero etiam Moliniani (uti Thomistis per Sarcasum obiiicit ingenuus Author) eo gaudeant *Discipulatus privilegio*, quo solis Illis quoad lectionem Ludovici Molinae specialis oculorum sanitas concessa sit; si tam altus sit Molinae puteus, si tam difficilis eiusdem intellectio, si tam absconditum Concordiae Manna? cur ergo P. Claudius Aquaviva Societatis eo tempore Generalis, cur P. Michael Vasquez, P. Petrus Arrubal, P. Christophorus des los Cobos, P. Gregorius de Valentia, P. Ferdinandus de Bastida, et P. Ioannes Salas ad congregationes de Auxiliis deputati et praesentes; cur, inquam, si solis ipsis datum fuit nosse mysterium Dei, non informarunt Clementem VIII. et Paulum V. quod genuinum Ludovici Molinae sensum non rite intellexerint, adeoque tot acerbis in illum sententias permiserint fulminari, prout apud le Blanc fuse narratur? nos certe Molinam nec aliter legimus, nec aliter intelligimus, nec aliter interpretamur, quam prout illum Viri omni exceptione maiores in praedictis congregationibus legebant, intelligebant, interpretabantur.

Quinto effugiorum,

§. XIX. Pariter et alterum Illorum effugium fundamento caret, quo dicunt, Systema Molinianum, a Systemate Augustiniano vel Thomistico non reipsa et quoad Substantiam, sed *accidentaliter tantum et quoad modum explicandi differre*. ita legimus a Calvinianis et Lutheranis in Pseudosynodo Carentonica de anno 1631. fuisse factum, quorum illi metaphoricam tantum, isti autem realem in Eucharistia

elisione.

praesentiam Christi confitentes, nihilominus tamen concordiam inierunt, eo ex capite, quod haec inter illos doctrinae differentia non circa rem ipsam, reiue substantiam, sed solummodo circa modum existendi aut metaphoricum aut realem versetur; ita certe in suo Synodali edicto desuper emanato: *unum est, quod in caeteris concordēs dirimit, MODUS, quo Christi caro nobis in eo Myserio (Eucharistico) communicatur; Res apud utrosque eadem, rei tantum ratio diversa.* paritatem hanc non quoad materias ipsas, sed quoad modum easdem conciliandi procedere volumus; si enim hae duae propositiones: *Christus realiter praesens est, et illa: Christus non realiter praesens est in Eucharistia,* iuxta saniozem Philosophiam non tantum modaliter diversae, sed substantialiter etiam, et contradictorie sunt obpositae; quis negabit, eandem quoque obpositionem Augustinum inter atque Molinam intercedere, dum utriusque doctrinam fundamentalem conferimus? sic

AUGUSTINUS

Lib. 1. de animae orig.
cap. 12. de Praedest. SS. cap.
14. praeter Scientiam possi-
bilium, et futurorum non de-
bet admitti in Deo Scientia
pro futuris conditionatis.

De Praedest. SS. cap.
10. et 17. item de Dono
persever. cap. 17. Praescien-
tia sequitur Praedestinatio-
nem tanquam medium pri-
us cognitum, nec nos ele-
git, quia futuri eramus
Sancti, sed ut simus futuri.

MOLINA

Lib. de Concord. Q. 23.
art. 4. disp. 1. praeter Sci-
entiam simplicis intelligen-
tiae, et visionis, in Deo debet
admitti tertia, seu media
pro futuris conditionatis.

Ibid. membr. 8. et 11.
Deus antecedenter praescit,
ac tum demum praedesti-
nat, nos autem eligit, quia
futuros praescivit, non ut
futuri simus sancti.



AUGUSTINUS

In Enchirid. cap. 98. *so-*
la gratuita misereris Dei
prædestinatio, non prævi-
sa merita, unum ab altero
discernit, ut adeo homo
nihil omnino habeat, quo
gloriarı possit.

Lib. 1. ad Simplician. q.
 2. et alibi frequenter: *gra-*
tia prima nullo modo de-
pendet ab usu vel disposi-
tione liberi arbitrii.

Lib. de grat. et corrept.
 cap. 12. et alias: *per pec-*
catum originale ita infir-
mata est voluntas, ut om-
nino requiratur auxilium
quo, et non sufficiat auxi-
lium sine quo non.

Eodem lib. de corrept.
 et gratia, totoque Lib.
 de Dono Perseverant. in tan-
 ta vitæ huius infirmitate
 Divina gratia indeclinabi-
 liter, et insuperabiliter ope-
 ratur, non tantum, ut ve-
 lint, sed et ut actu perse-
 verent.

Quodsi plures huiusmodi Antitheses inter Augusti-
 num et Molinam, vel etiam inter Angelicum Doc-
 torem et congruistas ante oculos poneremus, illae-
 que sine mentis praeiudicio discuterentur, haud
 equi

MOLINA

Lib. de Concord. Q. 14.
 art. 13. disp. 12. *non sola*
Dei misericordia, sed præ-
visa etiam merita unum ab
altero discernunt, unde ho-
mo in se quoque saltem par-
tialiter gloriarı potest.

Ibid. disp. 9. et 45. *mo-*
duß primæ gratiæ mul-
tum dependet a libero ar-
bitrio se aptante ac dispo-
nente.

Ibid. Q. 14. art. 13. disp.
 3. *etiam post peccatum vi-*
res voluntatis manserunt
integrae, unde non requi-
ritur auxilium quo, sed
sufficit, ut ante, auxilium
sine quo non.

Ibid. Q. 23. art. 4. disp.
 1. membr. ult. *cum natu-*
ra voluntatis per peccatum
infirmata non sit, gratia
quidem datur, sine qua
non perseveratur, non au-
tem qua fit, ut persevere-
tur.

equidem dubitamus, quin Lector luce clarius meridiana sit perspecturus, inter utriusque partis propositiones non modalem, vel accidentalem tantum, sed realem omnino, atque substantialem intercedere non tam differentiam, quam contradictionem.

Occurrit
etiam
Calumniis.

§. XX. Esto autem, quosdam D. Thomae discipulos adparentem doctrinae Molinianae Parelum pro vero Sole intuitos esse (quod tamen a P. Gazaniga Ord. Praed. in universitate Viennensi Theologo negatur) docendo, praeter Scientiam intelligentiae ac visionis, tertiam quoque, sed mere *conjecturalem* futurorum conditionatorum cognitionem in Deo existere; quid inde lucrabitur ingenuus Author? nunquid ex Rev. Gabriele Pennoto statim subiungit, eos deinceps *cautiores effectos certam et infallibilem huiusmodi futurorum cognitionem in decreto praedeterminante* admisisse? si sectanda sint quorundam discipulorum vestigia, cur non et Author ingenuus S. P. IGNATII praecepta, cur non Eminentiss. Card. BELLARMINI, P. CLAUDII AQUAVIVAE, SUARI, VASQUESII, Henrici HENRIQUEZ, MARIANAE, AZORII, TYPHANII, POSSEVINI, PERERII, PETAVII, aliorumque SOCIORUM suorum exempla sequitur, qui, ut ante annum Theoremate undecimo probavimus, vel Angelicam D. Thomae doctrinam suis praescripserunt, vel novum Ludovici Molinae systema exhorruerunt? si autem discipulos quosdam potius, quam Magistrum sequi oporteat, sequamur saltem *cautiores effectos* et resipiscentes, quam deceptos et hallucinantes, alias quippe Doctrina nostra ne ingenua quidem, ac multo minus genuina foret.



§. XXI. Audiamus igitur ipsummet Angelicum Scholae Thomisticae Authorem, qui quidem Scientiam futuribilium Deo non denegat, sed nec novam confingit, dum omnia obiectorum genera nonnisi ad Scientiam simplicis intelligentiae, ac visionis reducit, en propria ipsius verba, quae habet 1. P. q. 14. art. 9. ad propositam quaestionem, an Deus habeat scientiam eorum, quae non sunt; *Horum, quae actu non sunt, est admittenda quaedam diversitas; quaedam enim, licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt vel erunt; et omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis; - - quaedam vero sunt, quae sunt in potentia Dei vel creaturae, quae tamen nec sunt, nec fuerunt, nec erunt; et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiae.* iam autem ea, quae sunt in potentia Dei, vel creaturae, quae tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt, sunt futuribilia, seu conditionata, ergo respectu horum Deus non habet Scientiam visionis, sed simplicis intelligentiae, et consequenter non indiget Scientia media. ita D. Thomas, ita genuini omnes Eiusdem discipuli.

§. XXII. Qua tandem audacia victoriam sibi metipsum accinat ingenuus Author, non capimus; ait enim P. 1. cap. 1. ad §. 2di calcem, „verum, ut dixi, gravissimis testimoniorum, et rationum monumentis expugnata pars adversa victas manus prudentissime dedit, nec facile quis assertam a Moli-
na certam conditionalium scientiam, quam Ipse *mediam* vocabat, hac in parte inficiari deinceps ausus est.“ quoniam amabo sunt hostes illi, quos per scientiam mediam prostratos esse gloriaris, Vir eximie! an ingentem illum Augustinianae vel Thomisticae

et falsae
gloriationi
de victoria
praetensa,

mysticae Scholae putas exercitum? nolim id credere;
 sic enim te totius orbis risui non minus exponeres,
 quam Socius olim tuus P. Gabriel Thirion, qui in
 Thesibus 5. Decemb. 1696. promulgatis non erubuit
 scribere „ Doctrina Ludovici Molinae, aliorumque
 „ Theologorum, qui doctrinam libertatis humanae
 „ cum gratia Divina ope scientiae mediae tradere
 „ enucleatius tentarunt, ita ab errore Calvinii, alio
 „ rumque huius aetatis sectariorum recedit, ut ad
 „ opinionem Pelagianorum nullo modo accedat; et
 „ ideo tam valide impetita, toties a diversi generis
 „ hostibus impugnata, et coram summis Pontificibus
 „ tam diligenter agitata, tanquam aurum in fornace
 „ probata: purior inventa est, ut ait Maurolicus,
 „ et cum honore ex tot disputationum fluctibus
 „ emerfit. “ censuit nempe P. Thirion, nemini per
 Orbem nota esse, quatenus in Congregationibus de
 auxiliis acta, quales in Molinam censurae vibratae
 et quibusnam de causis parata iamtum in eiusdem
 concordiam anathemata in tempus aliud dilata fue-
 rint, alias procul dubio pro Paeane cecinisset Iere-
 miae illud: *misericaordiae Domini, quia non sumus*
consumpti.

ex decre-
 to Archie-
 piscopi Pa-
 risiensis.

§. XXIII. Sed iuvat huic triumpho veritatem
 obponere cum Reverendis. ac Illustris. Archiepi-
 scopo Parisiensi Carolo Mauricio le Tellier, cuius
 memoria nec laudibus nostris crescere, nec adver-
 siorum vituperationibus unquam imminui poterit;
 quique in solempni Decreto ad Academiam Rhemen-
 sem die 15. Iulii 1697. directo Molinistarum auda-
 ciam ita perstringit: *Equidem CLEMENTE VIII.*
ad Superos vocato PAULUS V. (cuius consilia in-
trospicere Religio nobis est) meditatam iudicium in

su-

suspensio posuit, et in commodiorem tempestatem consulto distulit; at nemo inde CITRA TEMERITATIS NOTAM propterea colliget, probatum idcirco fuisse Librum illum, de quo tam diu fuerat deliberatum. post tam diligentem motae litis tractationem Silentium Romanorum Pontificum adprobationis loco iactare velle, Hominum est nimis audacium, qui Sedem Apostolicam Protestantium calumniae committunt, quae eam de contempta iam tandem Augustiniana doctrina novisque Molinae inventis in animum inductis accusant. Quare quantamlibet huiusce thesis Author (P. Thirioux) in despicienda futilique Maurolici sui Auctoritate fidem ponat, ferre nullatenus possumus, eam immoderatis adeo laudibus doctrinam efferri, quae ex ipsa sui origine sinistrae ut minimum suspicionis labem incurrit, quod et ex antedictis, et ex probatissimorum huius aetatis Scriptorum suffragio perspicuum est, maxime vero ex Cardinalis BARONII, cuius acre iudicium magni apud omnes est ponderis; tantum igitur abest, ut Molinae doctrinam VELUT ECCLESIAE ADPROBATIONE DIGNAM excipere liceat, quin potius Illum ipsum veluti Virum propriis figmentis, caeterorum Novatorum more delectatum habere necesse est, Eiusque Doctrinam infausae Novitatis et Audaciae labe ab ipso Sui Authore notatam exhibilare. haec Ille pro genuina Ecclesiae Doctrina contra ingenuam Molinismi vivacitatem.

§. XXIV. Quodsi vero Author ingenuus nomine Hostium per Scientiam mediam tam gloriose debellatorum pauculos illos (si tamen quidam extiterint) intelligat, qui cautiores effecti a Scientia Coniecturali ad infallibilem atque certam prudentissime conversi sunt, hanc Illi Victoriam nullatenus

et falso
Authoris
ingenui
subposito.

invideremus, si simul probare posset, eam Conversionem *ingenuo* suo Molinismo, et non potius *genuinae* SS. Patrum Doctrinae in acceptis referendam esse; constat enim, et nos nunquam negavimus, in Deo existere veram, atque certam conditionalium Scientiam, qualem videlicet adstruxerunt S. GREGORIUS NYSS. *Orat. de infantibus immatura morte praeveniens*. S. CHRYSOSTOMUS *lib. I. ad Stagirium*. S. AUGUSTINUS *de Corrept. et Grat. cap. 8. item de dono Perseverant. cap. 9. et II. S. PROSPER in resp. 8. ad excerpta Genuensium. et S. GREGORIUS M. Lib. 13. Moral. cap. 17. longe utique diversam ab illa, quam Molina excogitavit, et mediam adpellavit; de hac enim Ipsus testatur Q. 23. art. 4. eam a nemine, quem legerit, hucusque fuisse traditam.*



CAPUT II.

Observationes circa concordiam gratiae et libertatis.

Praemotionis physicae, ac decreti subiective absoluti, et obiective conditionati causam

§. XXV. **P**osteaquam Author ingenuus cap. I. §. 4. ostendere adlaboravit, Nomen *Praemotionis*, seu *Praedeterminationis physicae* in operibus D. Thomae Aquinatis nullibi reperiri; item, Decretum istud praedeterminans esse *subiective absolutum*, ac *terminative conditionatum*; deinde, primum huius praedeterminationis physicae Authorem fuisse BANNEZ, Academiae Salmanticensis Theologum; tum cap. 2do ad varias de Idea Scientiae mediae observationes elucubrandas progreditur.

§. XXVI.

§. XXVI. Nos quod attinet, nullius personae odio vel amore calamum arripuimus, et hinc neque Molinistis inferre iniuriam, neque Thomistis eatenus volumus Patrocinari, quatenus physicam praemotionem defendunt; *Praesentatus* Ille, contra quem Author noster ingenuus agit, sciet procul dubio, etiam nobis tacentibus, undenam praedeterminationis physicae doctrinam hauserit, sciet, qua ratione, quibusve armis illa sit propugnanda; neque etiam causam Decreti subiective absoluti, ac terminative conditionati nostram facimus, viderint illi, quorum interest, illud adstruere; nos enim, ut mentem nostram aperiamus, Augustiniano Systemati et principiis innixi, nec huiusmodi Decreto, nec physica praemotione, multoque minus media quadam scientia nos indigere censemus; id unum solummodo asseverantes, admissa et itante praemotione physica humanae voluntatis libertatem non tantum non pessumdari vel imminui, sed potius perfici et adiuvari; qua de re loquendi fors in decursu frequentior erit occasio.

§. XXVII. Ut igitur praemonstratis ingenui nostri Authoris vestigiis insistamus, circa censuram Doctorum Lovanensium contra Lessium et Hamellium, Ludovici Molinae antesignanos, latam, quam Author noster non solum *infirmam et ruinosam*, verum etiam non satis prudenter, et parum caute hoc tempore et hic loci prolata vocat, quamque ait, *sine testibus, sine tabulis, sine consule, sine anno ac die conceptam*, quinimo, *ex animi sinistra quadam adfectione (passionem vulgus vocat) profectam esse*, sequentes observationes instituemus.

Potius contra sententiam ingenui Authoris ostendimus,

Censuram
Lovaniensem nec infirmam, nec
ruinosam
esse, ex iudicio Clementis
VIII.

§. XXVIII. *Infirmam et ruinosam esse Doctorum Lovaniensium censuram, non utique partium est litigantium, sed iudicis, diiudicare; Ipsemet Author noster, et eiusdem Socii, dum quacunque adversitate premuntur, ad iudicem nullis praeconcep-
tis opinionibus occupatum provocare solent, id, quod innumeris exemplis, si opus foret, possemus ostendere; quis autem iudex ille nullis passionibus praeoccupatus, nullius partis litigantis causae, nisi genuina sit, addictus, nisi supremum Ecclesiae totius caput? Supremam huius Potestatem iudiciariam certe non spernent Illi, qui speciali vinculo Eiusdem Autoritati sese obstrinxerant, quidquid in contrarium ab aliis proferatur, qui fidem nobis publicam non faciunt; iam vero Supremum Ecclesiae caput, CLEMENTEM videlicet VIII. Censurae Lovaniensi vivae saltem vocis oraculo suffragium tulisse, testatur Vir omni exceptione maior Petrus Ioannes Archiepiscopus ultraiectinus in epistola sua Idibus Februarii anni 1758. ad SS. D. BENEDICTUM XIV. perscripta, ubi Clerum Batavum eo ex capite commendat, quod exemplo CLEMENTIS VIII. qui doctrinam Societatis detestatus dixerat, SE CUM LOVANIENSIBUS SENTIRE, et curaturum, ut omnes ita sentiant, imo pro B. Augustini doctrina, si opus foret, etiam martyrium velle pati, stimulatus, S. P. AUGUSTINI doctrinae, TANQUAM SEDIS APOSTOLICAE DOCTRINAE tenacissimus esset, ac propterea iam pridem inexpiabile Societatis Odium contraxisset. quis credet, talem ac tantum Archiepiscopum haec in faciem Pontificis Maximi ausum fuisse scribere, nisi Urbi et Orbi nota, proindeque certa et firma esset Censurae Lovaniensis existentia.*

§. XXIX. Praeterea de Censurae Lovaniensis existentia dubitare, idem foret, ac omnem fidem humanam tollere; non enim ex uno *Philalete*, vestito quodam Thomista, et eius *Triumpho Thomistico*, quem solum se invenisse testatur Author ingenuus, sed ex plurimis Virorum Synchronorum testimoniis, imo et monumentis publicis id comprobatur, quaecunque ad compilandam Molinismi historiam hucusque adhibebantur; legant, qui nobis fidem non habent, Augustinum le Blanc in sua Congregationum de auxiliis historia Lib. 1. a cap. 3. et seqq. ubi longe plura et firmiora, quam forsan in illo *Triumpho Thomistico*, pro veritate huius Censurae etiam invitis oculis documenta invenient; nos tantummodo ex argumentis Authori nostro Domesticiis, utpote Ipsi minime suspectis, quaedam dabimus.

Item ex
historia
Congrega-
tionum de
auxiliis.

§. XXX. In ipsis certe Societatis tabulariis, adcuratissime hactenus custoditis, reperire foret rescriptum illud Lessii ineunte anno 1588. Academiae Lovaniensi porrectum, cuius dein copia OCTAVIO Episcopo Calatino, tunc SIXTI V. ad Lovanienses delegato ac Nuntio Apostolico exhibebatur, transmittenda in Urbem, et in quo Lessius contra Censuram in suas 34 propositiones latam gravissime, ac stylo satis amarulento conqueritur; quas utique querelas in aerem iecisset, si censura illa nunquam fuisset lata; sed neque successu temporis illa noviter effingi, aut facta corrumpi potuit, tum, quod censura illa non solis Lovaniensium scriniis concredita, nec solis Lessii manibus consignata, sed variis hinc inde Archi- et Episcopis, ut Mechliniensi, Ruremundano, Iprensi, Boscoducensi, Attrebatensi, Namur-

Ex ipsius-
met Lessii
testimonio,

murcensi, Audomarenfi et aliis, ac praeprimis Academiae Duacensi fuerit communicata; tum etiam, quod Societas ipsa nec eo, nec subsecuto tempore censuram illam tanquam subposititiam, aut saltem adulteratam unquam perstrinxerit, imo potius ad universitates Moguntinam ac Trevirensensem transmissit, ut ibidem saltem Patrocinium inveniret.

Ex Apostolicae inquisitionis instrumento,

§. XXXI. At vero res longe fiet clarius, si Authori nostro ingenuo demonstramus, censuram hanc nequaquam, ut Ipse putat, *sine testibus, sine tabulis, sine consule, sine anno ac die*, sed publice, coram testibus, et Notario, determinata die ac anno, ad normam Iuris et legaliter Illustriss. ac Reverendissimo D. Octavio Frangepani, Episcopo Calatino, ac tum temporis per Belgium Nuntio Apostolico exhibitam, ab Eoque postmodum ad SIXTUM V. P.M. transmissam fuisse; commissionis huius acta MMSS. tam originalia, quam in forma Iuris recognita, uti et alia huc pertinentia ad initium praesentis adhuc Saeculi habebantur, ac procul dubio adhuc habentur partim in tabulariis Pontificiis Castellum S. Angeli, partim in Archivio Augustiniano Romano, a Gregorio Coronello Congregationum de Auxiliis Secretario reposita, et ex parte etiam in Bibliothecis Barberina, Altieriana, et Chisia; ibi, non in privatorum Codicibus disquirendum, an prae laudata censura *sine testibus, sine tabulis, sine Consule, die, vel Anno* scripta sit.

et actis publicis,

§. XXXII. En rei seriem in compendium redactam; cum controversia gravis inter Doctores Lovanienses et Lessii Socios ob memoratam in Hoscensuram exorta, Romam usque delata fuisset, continuo

tinu
pril
tinu
tem
offic
se
qu
ac
per
cess
res
cep
ab
fib
ve
est
H
de
m
Fa
tu
se
li
In
I
in



tinuo SIXTUS V. P. M. Litteras dedit die 15. Aprilis 1588. anno Pontificatus 3. ad Octavium Calatinum Nuntium Apostolicum Coloniae tunc residentem, ut Lovanium se conferat, omnique Charitatis officio et prudentia studiosissime agat, quatenus inter se dissidentes ab omni interea decertatione desistant, quoad Apostolica Auctoritate de eorum controversiis ac disceptationibus decernatur, praesertim, cum illud persuasissimum habere debeant, B. Petri tantum successori Pontifici Romano licere, doctrinae Christianae res controversas definire, alias vero nemini. qui acceptis hisce Litteris die 22. Iunii Lovanium veniens, ab utraque parte, quae hucusque acta sunt, scripto sibi exhiberi petiit, ac sine mora obtinuit; tum vero subscriptis ab utraque parte actis, quod factum est 17. Aug. 1588. ex parte Lovaniensium per D. HENRICUM CUYCKIUM S. Facultatis Decanum, deque Ipsius ac reliquorum Doctorum Facultatis mandato per ANDREAM SASSENUM, dictae S. Facultatis Pedellum et Notarium publicum, Decretum edidit Nuntius, quomodo pars utraque erga se se invicem gerere debeat, usquedum Sedes Apostolica desuper definiat, totiusque suae commissionis Instrumentum publicum a Iacobo Perano Clerico Leodiensi, Apostolico et Caesareo Notario confici iussit.

§. XXXIII. Memoranda praecipue sunt verba illa in Instrumento subscriptionis: *Hanc iustificationem seu defensionem Censurae Facultatis nostrae Theologicae Lovaniensis etc.* item in instrumento Significationis die Sabbati 3 Septemb. 1588. exhibita fuit Reverendissimo D. Octavio, Episcopo Calatino ac Nuntio Apostolico *suprascripta iustificatione,*

Sub Sixto
V. PP. et
Octavio Ep.
Calatino,

tio, seu Defensio Censurae Facultatis Theologicae Academiae Lovaniensis, in assertiones quasdam Professorum ibidem, Patrum Societatis Nominis IESU, de Scriptura sacra, Praedestinatione et Gratia Christi etc. quae verba quid aliud insinuant, quam praecipuam totius controversiae originem fuisse censuram illam a Lovaniensibus latam.

Ad aliam
obiec-
tionem Autho-
ris ingenui
respondetur

§. XXXIV. Sed videtur Author noster ingenuus non omnem penitus Censurae huius authenticitatem negare, dum eam *non satis prudenter, et parum caute hoc tempore, et hic loci prolatam esse contendit*; addens insuper: *illud contendo, censuram hanc, si his verbis (contumeliosis) lata fuerit, a Praesentato non satis prudenter, et parum caute in medium fuisse adductam.*

indirecte,
ac retor-
quendo,

§. XXXV. Scimus equidem, et fatemur, *prudentem cautelam* omnibus hominum generibus necessariam esse, maxime tamen illis, qui ad aliorum instructionem sunt destinati; scimus etiam, Prudentiam communiter a Theologis definiri, quod sit *Rerum expetendarum, aut fugiendarum Scientia*, seu: *virtus moralis ostendens, quid in quolibet negotiorum genere ut honestum amplexendum, vel ut turpe fugiendum sit in ordine ad finem ultimum*; scimus denique, vitia huic virtuti obposita esse *praecipitationem* in ferendis iudiciis, *inconstantiam* in iis absque causa mutandis, et *negligentiam* in mediis eligendis ad finem proportionatis; qua ratione igitur Praesentatus, allegans Censuram Lovaniensem, non satis prudenter, ac parum caute locutus fuerit, non intelligimus; nisi Author noster ingenuus nobis vicissim velit concedere, suae quoque Societatis Viros

non

non satis prudentes et minus cautos fuisse, qui Molinismum in congregationibus de auxiliis adprobatum, Lovaniensium, ac Duacensium Censuras econtra per Octavium Calatinum anathemate confixas, et a Facultate quoque Parisiensi positive reprobatas contra unanime veritatis historicae testimonium divulgare sunt ausi; qui, ut loquitur supra §. 28. laudatus Archiep. ultraiectinus „ omnes alios, qui Societati „ suae minus addicti sunt, vel caecum Eidem fa- „ mulitium detrectant exhibere, nullo meritorum, „ dignitatis vel conditionis habito respectu, mira „ quadam arte de Iansenismo accusant, Eosdemque „ vellent, nollent, ut haereticos dilacerare non eru- „ bescunt“ qui etc. sed praestat plura, orbi aliunde nota, impraesentiarum silentio praeterire.

§. XXXVI. Quo sensu autem dicatur, Censuram Lovaniensium satis prudenter et caute *hoc tempore, et hic loci* non fuisse prolatam, plane non intelligimus; scripsit Praesentatus eo tempore, quo Cathedrae Theologicae in Studio Bulsanensi laudatissime praefuit; scripsit eo tempore, quo sui muneris erat, novellos Theologiae candidatos contra profanas vocum novitates, contra fallacem et inanem Philosophiam, contra quasvis genuinae Veritatis insidias praemunire; scripsit eo tempore, quo AUGUSTA Scholasticam etiam Theosophiae methodum hactenus usitatam saniori quadam Crisi, et Historia veluti sale condiri sapientissime iussit; merito proinde praesens tempus adcommodatissimum iudicare debuit, ut pugnaturis aliquando tyronibus adversae partis molimina, arma, receptacula, Ipsiusque belli causas, originem, et progressum patefaceret, magis ad ingenuitatem accedere ratus, rem

Nec dici potest, Censuram Lovaniensem debito tempore, prolatam.

prout est in se, nudamque discipulis proponere veritatem, quam tegendo, tacendo, ac praescindendo iisdem imponere.

aut loco
non fuisse
prolatam,
ac

§. XXXVII. Multo minus nobis notus est *locus ille*, ubi Censuram Lovaniensium contra Molinae affectas citare liceat; certe, genuinae doctrinae propugnacula, licet per se loquendo nulli loco affixa sint, ibi tamen secundum prudentis cautelae regulas quam maxime sunt construenda, ubi timendus adversae partis insultus, in tractatu videlicet de Scientia et gratia Dei, de Hominis libertate ac praedestinatione, non autem, uti optarent adversae partis Patroni, sub modio vel in tenebris, in concavo Lunae, vel spatiis imaginariis.

multomī-
nus, eam e
sinistra qua-
dam animi
adfectione
profectam
esse.

§. XXXVIII. An denique Censura Lovaniensium in Lessium et Hamelium lata *e sinistra quadam animi adfectione, quam vulgus passionem vocat, profecta fuerit?* nec meum, nec tuum est iudicare, Author ingenue! certe Lovaniensibus, Duacensibus, aliarumque Universitatum Doctoribus, imo et Belgii Episcopis *pro minimo erat, ut ab aliis iudicentur, aut ab humano die, qui autem eos iudicat, Dominus est;* exceptio facta ob sinistram animi adfectionem locum non habet, ubi recidit in excipientem; ambo sumus homines, et frequenter festucam in alterius oculo deprehendere putamus, dum trabem in proprio non sentimus; non utique de Censorum, sed de censurae ipsius qualitate nobis est sermo; permittamus igitur iudicium istud Clementi VIII. Paulo V. aliisque D. Petri successoribus, permittamus id Ecclesiarum Rectoribus tum doctrina, tum vitae sanctimonia celeberrimis, Cardinali Tour-
nonio

nonio, Bernardino d'Almanza, Mathaeo de Castro, Bernardino de Cardenas, Philippo Pardo, et Ioanni Palafoxio! permittamus inquam ipsismet iudicibus, seu testibus potius Domesticis, P. Thomae Tamburino lib. 9. in Decal. cap. 2. §. 2. P. Marianae lib. de morb. Societ. cap. 13. P. Georgio de Rhodes disp. 2. de Act. hum. q. 2. sect. 3. §. 1. P. Inchofer in Monarch. Solips. ac tandem Morali practicae Societatis Vol. 7. p. 3. c. 1. et. vol. 5. in Histor. Bernardini Cardenatis; ex quibus, et innumeris aliis huius generis monumentis illud Paulinum nobis in aurem dicitur: *inexcusabilis es o homo omnis, qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas, EADEM ENIM AGIS, QUAE IUDICAS.* Rom. 2.

§. XXXIX. Iam sequitur apud Authorem nostrum cap. 2. §. 1. Achilles ille, quo Lovanien-
sium Censorum Authoritatem penitus iugulari existi-
mat, adducens ISAACI HABERTI testimonium ex
P. Levino Meyer de Auxil. Lib. 1. cap. 6. ubi ab
eodem ISAACO HABERTO in lib. defens. fid. cap.
14. §. 3. Censurae Lovanien-
sis historia longe aliter,
ac ab aliis, enarratur, quamque tum P. Levinus
Meyer, tum Author noster ingenuus in suae cau-
sae favorem fuisse, ac in terminis referunt, exinde
autem sequentes formant conclusiones; 1ma, me-
moratam censuram obstetricante Baiana factione Ie-
suitis infensa in lucem prodiiisse; 2da, longe iustio-
rem, sanio-remque prae illa Lovanien-
si fuisse Aca-
demi-
am Parisiensem, quae, licet a Lovanien-
sibus in-
vitata, huic tamen censurae subscribere constantis-
sime detrectavit; 3tia, Censuram illam a pluribus
in Belgio Theologis, et Episcopis dictam fuisse im-

Argumen-
tum Achil-
leum ex
Isaaco Ha-
berto duc-
tum

portunam, iniquam, et abusivam; 4ta, propositiones Lessii a Lovaniensibus damnatas, postea Romae a summa Sede tanquam doctrinam sanam continentes fuisse declaratas; 5ta, ab eadem Sede Apostolica excommunicationis paenam illis intentatam fuisse, qui aliqua censura doctrinam Lessii perstringere auderent; 6ta, ab illo tempore multos Professores atque Doctores, etiam Lovanienses doctrinam suam doctrinae Lessii conformasse.

Reiicitur
in Adversarios, et

§. XL. At enimvero, quemadmodum adversae parti nihil communius, quam adversantium sibi auctoritatem infringere, nunc animum sinistris adfectionibus praeoccupatum, nunc intellectum ignorantia laborantem, nunc voluntatem malevolentia correptam caussando, aut ipsorum faetus omnino ex oculis hominum surripiendo; ita econtrario, quotquot suae causae patrocinantur, eos veluti Deos super astra ferunt, eorum scripta velut oracula haberi cupiunt, et adorari pedum vestigia; cuiusce rei plus quam sexcenta, si detur occasio, exempla satis authentica proferri possent.

fit exceptio
contra
Authorem,

§. XLI. ISAACUM HABERTUM Parisiensis Ecclesiae Canonicum, ac postmodum ab Anno 1645. Vabrensem Episcopum, tandem vero Anno 1668. fuisse mortuum, ex monumentis constat Historicis; at ex his ipsis etiam probatur, Eundem, quoad vixit, iuratum fuisse Societatis Patronum, et in eundem etiam favorem contra Iansenium scripsisse; unde haud maiorem apud nos meretur fidem, quam apud Molinianos IACOBUS BOSSUTIUS O. S. B. in congregationibus de auxiliis Secretarius, cuius historiam ex eo solum capite flocci pendit Petrus Fulienfis e

S. I.

S. I. in suavi concord. disp. 4. n. 4. *quod nimium faveat Dominicanis*; nunquid et nos eodem gaudeamus iure? sed videamus, an conclusiones ex antedicto Haberto derivatae subsistant.

§. XLII. Quod igitur imam conclusionem adinet, laudamus equidem Zelum, quo PP. Societatis quasdam Baianas propositiones ad summam Sedem diiudicandas miserunt, cuius obiectum et *finis operis* debita laude non caret, etsi forsitan sinister quidam affectus *finem operantium* corruperit, quem celeberrima tum Lovaniensium Autoritas adolescenti adhuc, et primas ubique Cathedras ambienti Societati facile potuit suggerere; interea vero et Lovaniensium Zelus aequo iure laudandus erat, dum Lessii et Hamelii propositionibus nimium utique, antequam successu temporis mitigarentur, Pelagianismo faventibus sese obposuere, etiamsi ultro concedamus, Michaellem Baium ea occasione humani quidquam fuisse passum.

nec non
contra Eius-
dem con-
clusionem
imam,

§. XLIII. Pro dignoscenda 2dae conclusionis qualitate, notandum, nihil absurdius esse in re literaria, quam illud argumentandi genus, praesertim in rebus Theologicis: *haec sententia non est positive damnata, ergo est adprobata*; sequeretur enim, etiam hanc esse bonam consequentiam: *haec sententia non est positive adprobata, ergo est damnata*; paritatem rationis certe negabit nemo; sed ultimam admittere, Molinistis foret periculosum, ergo neque priorem sibi faventem habent, ergo ex eo, quod Parisienses Lovaniensium doctrinae vel censurae non subscripserint, nullatenus sequitur, eandem ab illis adprobata fuisse; „scimus equidem, sunt

contra se-
cundam,

„ verba



„ verba Augustini le Blanc lib. 1. cap. 3. „ quod si
 „ lentium eius in rem suam vertant PP. S. I. in
 „ imagine primi Saeculi lib. 6. sed quo titulo, iudi-
 „ cent eruditi; certe si quid ex silentio colligi po-
 „ test, Illam Lovaniensium censurae assensisse potius,
 „ quam repugnasse, iudicandum erit; si enim aliter
 „ Sorbonna sensisset, exigebat proprii Ordinis digni-
 „ tas, ut Belgicas illas Academias falsi postularet,
 „ saltem dum sese ab iis vocatam in causam intel-
 „ lexit, easque sua uti Authoritate cognovit; Dua-
 „ censes enim in prima Lessii censura doctrinam Eius
 „ de praedestinatione ad gloriam ex praevisione me-
 „ ritorum ab Academia Parisiensi iam ante annos
 „ 240. damnatam dixerant; addiderant in defensione
 „ sua Lovanienses part. 2. circa fin. Lessiana dogma-
 „ ta Parisios nuper adducta, illinc non multo post,
 „ celeberrimae Academiae studio explosa fuisse; quid
 „ itaque, si res aliter se habuisset, an servasset silen-
 „ tium? an non potius publica falsi postulatione im-
 „ postores revincere Sorbonna debuisset? quod si
 „ non egit, uti non egisse certo constat, Duacen-
 „ sium ac Lovaniensium censuris assensisse dicenda
 „ est. “ in defectu nempe positivi cuiusdam funda-
 „ menti silentia quoque ab illis magni pendenda sunt,
 „ qui positiva SS. etiam Pontificum decreta, et con-
 „ stitutiones parvipendunt.

contra
tertiam,

§. XLIV. Pariformiter ad conclusionem 3tiam
 respondemus; admittendo videlicet, Lovaniensium
 censuram a pluribus in Belgio Theologis et Episco-
 pis dictam fuisse importunam, iniquam, et abusi-
 vam; quid enim hi, pauci, et parvae tunc Autho-
 ritatis Hostes contra tam validum S. Augustini, Di-
 vique Thomae Aquinatis exercitum? nemo certe,
 qui

qui
tam
in l
logi
etia
dur
gur
scri
„ A
„ n
„ l
„ t
„ c
„ f
„ C
„ n
„ f
acc
ac
der
cep
edi
Tr
na
ten
de
tro
tu
cu
fen
qu
bu
tr

qui illius temporis Historiam legerit, ignorabit, tantam fuisse Universitatum Lovaniensis ac Duacensis in Europa celebritatem, ut gravissimae rerum Theologiarum controversiae illarum iudicio ab exteris etiam christiani orbis provinciis commissae fuerint; dum econtra de Universitatibus Trevirensi ac Moguntina, quas in suam partem adtraxerant Lessiani, scriptum legamus: „obscuri certe nominis tunc erant „Academiae Trevirensis, et Moguntina, in quibus „non triduo, ut de causarum Patronis aiebat Tullius, sed uno mane Doctores Theologi fabricantur; quam leve, quam elumbe de orta Lovanii controversia iudicium tulerint, vel ex uno capite satis liquet, quod illud, nullo plane Scripturarum, Conciliorum, Patrum, Rationisque Theologicae momento firmaverint, cum id econtra Lovanienses, et Duacenses summa eruditione praestitissent. „accedit, quod istarum Academiarum, Moguntinae ac Trevirensis, iudicio eo minor autoritas concedenda sit, quo magis constat, easdem enormiter deceptas fuisse; cum enim 34 propositiones Lessius edidisset, sex tantummodo Moguntiam et Augustam Trevirorum sunt missae; sic enim censura Moguntina: *quoniam a Facultate nostra petitum est, ut sententiam DE SEX PROPOSITIONIBUS inter Academiae Lovaniensis Doctores, et S. I. Theologos controversis ferremus etc.* sic etiam Trevirenses testantur: *prodiit superiori anno censura Theologorum Facultatis Theologicae, qua tanquam peregrinas, offensivas, periculosas, haeresisque vicinas damnant, atque reiiciunt SEX PROPOSITIONES a Professoribus S. I. in Scholis suis Lovanii doctas, et publice traditas etc.* ubinam ergo sunt reliquae viginti octo?

F

cur

cur non et Iſtas cenſurae Moguntinenſium, ac Tre-
virenſium ſubiecerunt? deinde vero Belgii Epiſco-
pos Leſſio faventes fuiſſe Pauciſſimos, ex eo liquet,
quod ex parte Lovaniienſium ſteterint Ioannes Hau-
chinus Archiep. *Mechlinienſis*, Ludovicus de Barle-
mont Archiep. *Cameracenſis*, Guilielmus Lindanus
Epiſcopus *Gandavenſis*, et plerique alii Belgicarum
Diaceſium Epiſcopi, paucis tantum exceptis, qui
ad exemplum Trevirenſis et Moguntinae Academiae,
ut ſeſe periculo ſubtraherent, Neutralitatis, ut vo-
cant, limites ſupergredi non ſunt auſi; paucis, in-
quam, exceptis; id enim teſtatur Societas ipſa in
imagine primi Saeculi lib. 6. cap. 4. inquiens: *Ad-
verſarii noſtrum dedecus indefinenter urgentibus MA-
IOR EPISCOPORUM PARS, et quaedam collegia
Canonicorum geminis duarum Academicarum (Lova-
niienſis ac Duacenſis) cenſuris calculum adiecerant;*
*Mechlinienſis vero et Cameracenſis Metropolitae Syno-
dum parabant Epiſcoporum, qui dogmata noſtra a
duabus Facultatibus damnata diſcuterent, eademque
toto proſcriberent Belgio tanquam impias Maſſilien-
ſium et Pelagii reliquias, adeoque Societati notam in-
urerent haereticae pravitatis;* quod etiam Praeſules
illi procul dubio feciſſent, niſi totam huius contro-
verſiae recognitionem per Nuntium ſuum Octavium
Calatinum Sixtus V. P. M. ad ſuum tribunal avo-
caſſet.


contra
quartam,

§. XLV. Qua fronte ingenuus Author Orbi
et Urbi audeat impoſnere, ac fidenter adeo aſſerere,
propoſitiones Leſſii a Lovaniienſibus damnatas, po-
ſtea Romae a ſumma Sede tanquam doctrinam ſa-
nam continentes fuiſſe declaratas, nullo modo per-
ſpicimus; imo plus audet P. Levinus Meyer ab eo
cita-

citatus, cum ait: „ Pontifex Sixtus V. qui doctissi-
 „ mus erat, convocato caetu Cardinalium, post lon-
 „ gam et profundam discussionem illas omnes pro-
 „ positiones adprobavit tanquam articulos sanam doc-
 „ trinam continentes, mandavitque suo Nuntio et
 „ Legato supra nominato vices, hanc suam senten-
 „ tiam pronuntiandi, et praecipiendi sub paena ex-
 „ communicationis, ne quis eosdem articulos dam-
 „ naret, vel censura ulla notaret, ut videre est in
 „ litteris Sixti V. typis Masii 1588. Iulii 10. “ haec
 ille.

§. XLVI. Ingenua profecto veritas! si P. Le-
 vinus Meyer Scrinia Pontificia, si prothocolla Lo-
 vaniensia vel Duacensia, si acta praelaudatae com-
 missionis, imo si vel totius controversiae huius hi-
 storias non ab uno, sed a pluribus compilatas, et
 ex authenticis MM.SS. desumptas legere aut potuisset,
 aut voluisset, procul dubio invenisset imo,
 post adventum Octavii Calatini Episcopi Lovanien-
 sem in urbem, die 22. Iunii dicto anno 1588. con-
 fectam a Lovanienfibus fuisse suae censurae defen-
 sionem, et subscriptam per Henricum Cuyckium S.
 Facultatis Lovan. Decanum, et Andream Sassenum
 eiusdem S. Facult. Pedellum et Notarium publicum
 die 17. Augusti; invenisset 2do, Significationis in-
 strumentum desuper confectum, ac subscriptione tes-
 tium ad id specialiter vocatorum (videlicet D. Iu-
 lii Tartesii I. U. D. ac eiusdem Reverendiss. D. Nun-
 tii Apostolici Auditoris, nec non Lucae a Tonghe-
 ren Presbyteri Daventicensis Dioecesis) roboratum
 fuisse dicto anno die 3 Septemb. invenisset 3tio, to-
 tam subortae controversiae disquisitionem per saepe
 nominatum Octavium de Frangepani primum die

Quae me-
 ras continet
 antitheses,



29. Novembris terminatam, ac tum primum commissionis acta Romam ad Cardinalem S. Severinae transmissa fuisse. dum igitur audacter adeo contendit, censuram Lovaniensium iam tum 10. Iulii anno 1588. a Sixto V. damnatam fuisse, debebit nolens volens admittere, aut Pontificem ante cognitionem causae sententiam tulisse, quod omnibus omnisque iuris formulis contradicit, aut mendacem illum Sixtinae Bullae fabricatorem non satis fuisse memorem, quod 17ma Augusti, 3tia Septemb. et 29na Novemb. Romam Iulii eodem anno non praecefferint, sed subsequantur.

et falsitates,

§. XLVII. Quemadmodum ergo falsissimum est, Sixtum V. vel durante inquisitione, eaque vix incepta, vel etiam postea quoad vixit (mortuus autem est die 27. Aug. 1590) hac de materia Bullam quandam edidisse, utpote quae nullibi, nisi forsan in votis Molinistarum, est reperiunda; ita e contrario certum est, eadem omnino die et Anno scilicet 10. Iul. 1588. non Bullam Pontificiam, sed Decretum, non a Sixto V. sed sub Sixto V. ab Eiusdem Nuntio, Octavio Calatino, durante adhuc inquisitione emanatum fuisse, in quo autem Lessiana dogmata nullatenus tanquam sanam doctrinam continentia sunt adprobata, prout mendax et proterva Masii typographia scripsit, sed id solummodo statutum fuit, ut, cum quaedam opinionum dissensiones Lovanii super quibusdam sanctae doctrinae articulis fuerint subortae, quibus fidelium unitas scindi, et Corpus Christi lacerari posset, nisi mature, sapienterque occurratur, cumque nulli, nisi successori D. Petri Pontifici Romano liceat doctrinae Christianae res controversas definire, - - - nemo, cuiusque ordinis, gradus,

mus, conditionis, vel dignitatis existat, in Concionibus, Lectionibus, disputationibus publicis et privatis alterutrius partis assertiones imposterum adtentet tanquam haereticas, suspectas, offensivas, et periculosas affirmare, DONEC AUTHORITY APOSTOLICA MATURE DEFINITAE FUERINT. quem totum Decretum istud legere iuvat, evolvat Augustinum le Blanc lib. 1. cap. 4. a col. 26. et seqq. ubi videbit, quam egregie sese Lessiani circa Decreti huius observantiam gesserint; nobis interim ad alia properantibus satis est, mendacio Veritatem obposuisse.

§. XLVIII. Ut falsitas conclusionis quintae, ^{contra} simulque temeritas Masiana patefcat, sciendum, in ^{quintam,} praefato Decreto immediate post verba illa paulo ante citata: *mature definitae fuerint*, legi sequentia: *quod si quis contra fecerit, sciat se excommunicationis latae sententiae paenam - - - incurrisse, et alias paenas nobis nostroque arbitrio reservatas subiturum.* non igitur illis, qui repudiatis Lessianis, Augustiniana sectantur dogmata, sed qui silentium utrique parti impositum violaverint, aut adversam partem iniuriose tractaverint, antequam controversia isthaec a summa Sede diremta fuerit, Anathema minatur Nuntius Apostolicus; certe ab eo tempore nulla unquam contra Lovanienses querela est mota, quasi praecepto Apostolico fuissent refractarii; bene vero id manifeste constat de Lessii consodalis, quorum unus, videlicet P. Ioannes Dekerus S. I. Theologus anno statim sequente 1589. in suis ad 1. 2. D. Thomae praelectionibus Q. 4. propos. 2 probat. 11. Thomistas non erubuit veluti Calvinianos calumniari, inquit: *difficile est videre, in quo secundum*

rem haec sententia (D. Thomae a Duacensibus tradita) *differat a Sententia Calvinii, nam Calvinus dicit etc.* quin et in dictato quodam extraordinario defendere ausus est, in praedicto Decreto Lessianam doctrinam positive adprobatam fuisse; sed pace huius viri dixerim: si Lessiani censuram Lovaniensem, qua parum a Semipelagianis distinguebantur, tam acerbè senserunt, cum nondum inhibitiō quaedam Apostolica extaret? quid sentiendum de Lessianis, qui pendente adhuc in foribus Decreto Apostolico Duacenses Calvinianis (uti nunc post tot Pontificum Bullas inhibitorias Augustinianos Iansenistas) non sunt veriti aequiparare?

et contra
sextam,

§. XLIX. Fatetur tandem conclusione 6ta ingenius Author, Lovanienses Decreto illi stetit, ac imposterum ab omni censura modestissime abstinuisse, quanquam pars adversa non destitit, nunc Lovanienses, nunc Duacenses, nunc Episcopos sibi minus faventes verbis, scriptis, factisque Decreto contrariis vellicare, perstringere ac fugillare, imo et falsis criminationibus Nuntium Apostolicum circumvenire, ut novo quodam edicto Duacenses perstringeret, qui tamen ab incomparabili Viro Guiljelmo Estio nomine Facultatis Duacensis desuper monitus studio abstinuit, ne Lessianae factioni ulteriores machinationum faces subministraret, prout ex Eiusdem Nuntii Apostolici litteris ad Cardinalem S. Severinae hac de re datis colligitur; interim edictum Duacense de die 21. Ian. 1690. (fors 1590.) non plus, quam prius illud evincit, nempe utramque partem debere ab iniurijs ac invectivis privatis publicisque convicijs abstinere, *donec per Sedem Apostolicam quaestiones de huiusmodi materijs exortae defi-*

nian.



niantur, quae verba ultima studio forsan omisit Author ingenuus.

§. L. Pergit postmodum Author ingenuus ^{Innocua} variis ostendere documentis, Lovanienses post elap- ^{cenſurae} ſum circiter ſaeculum de Leſſiana doctrina mitius ^{Lovanien-} iudicaſſe, quod eo minus negamus, quo magis eo ^{ſis citatio} rum prudentia, modeſtia, et obedientia S. Sedi de- ^{plus habet} bita Orbi eſt nota; qualenam autem pro ſua ſcien- ^{roboris,} tia media ibidem inveniat ſuffragium, aut cur cen- ſuram Lovaniensem nunquam citari vel allegari poſ- ſe contendat, non videmus; longe utique ſunt gra- viores cenſurae illae, quae in congregationibus de auxiliis a Viris tum dignitate tum ſapientia celeberrimis in Molinam ſunt latae, et quarum citationem, ſi ſervato prudentiae et charitatis ordine fiant, non prohibebunt illi, qui cenſuras in partem adverſam latas tanto cum ſtrepitu, et amaritudinis zelo debuccinare non ceſſant; certe praefentatus ille, in quem tantopere invehitur Author ingenuus, citando cenſuram Lovaniensem, nullatenus animum habuit, eidem, aut ſibi ſupremam iudicandi poteſtatem arrogare, ſed praeciſe oſtendere, qualis haec nova Leſſii doctrina, dum e cunis prodiret, in oculis Doctorum viſa fuerit; neque nobis eſt animus, id pernegare, ſententias Societatis eſſe *indemnes, tutoque ac impune* in Scholis doceri poſſe, quod maxime urget Author ingenuus, ſed illud ſolum conſtanter aſſerimus, Leſſii ac Molinae doctrinam nullatenus aequiparari poſſe doctrinae illi, *quam hactenus univerſalis Eccleſia*, ut ante annum in Theorematibus noſtris Dogmatico-Polemicis oſtendimus, *poſitive ac ſpecialiter uti ſuam agnovit.*



Quam Lai-
corum re-
commenda-
tio.

§. LI. Tandem vero, quasi alia et interna suae doctrinae non haberet suffragia, externas Principum Saecularium recommendationes quaerit ingenuus Author; Societatis causam quoad Molinae doctrinam durantibus congregationibus de auxiliis a pluribus Principibus, quibus eiusdem Societatis Patres aut a sacris confessionibus, aut a secretis consiliis fuerant, recommendatam fuisse (quemadmodum vicissim ab aliis adcusabatur) nec ignoramus, nec miramur; sed nec ingenuus Author ignorare, ac multo minus mirari poterit, Supremum Ecclesiae caput Clementem VIII. pro munere suo hisce recommendationibus nullatenus motum, strictissimas in Molinae dogmata disquisitiones nihilominus continuasse, probe gnarum, in huiusmodi quaestionibus dogmaticis non attendendum esse, *quid caro et sanguis, sed, quid Pater caelestis revelaverit*; et quanam quaesumus benevolentiae saecularis ad doctrinam pure theologicam et spiritualem proportio? nunquid Apostoli ad praedicandum Evangelium favore Principum indiguerunt? nunquid Ecclesia in dirimendis fidei controversiis beneplacitum Caesaris aliquando sibi pro scopo fixit? quod si sola Schola Molinae tantopere Patrocinio Laicorum egeat, cur ergo P. Claudius Aquaviva in sua industria ad curandos animi morbos cap. 15. disertè ait: *Saecularitas et Aulicismus insinuans familiaritates et gratiam externorum, morbus est in Societate; nobis fere necessitantibus paulatim subintrat, sub specie quidem lucrificiendi Principes, Praelatos, Magnates, hominesque conciliandi, sed revera quaerimus interdum nos ipsos, et paulatim ad saecularia deflectimus.* permotus forsan S. sui P. Ignatii exemplo, qui, testante

Masseio

Masseio in Eius vita lib. 3. cap. 1. aliquibus, ut pro ipsis intercederet, rogitantibus respondit: *sibi rem non esse, nisi cum Aula summi Regis, ad eam si adiutum optarent, daturum se operam, ut intimi Regis amici fierent.* cur in secunda generali Societatis Congregatione districte praecipitur: *nec Principibus, nec Dominis aliis saecularibus aut Ecclesiasticis assignari debet aliquis ex nostris Religiosis, qui Aulas eorum sequatur, et in eis habitet, ut Confessarii, aut Theologi, aut alio quovis munere fungatur, nisi forte ad perbreve tempus unus vel duorum mensium?* quamquam igitur citatos ab Authore Principes omni, qua par est, veneratione colamus, nec Societati eorundem favorem invidemus, negamus tamen, Ipsos rei huius Theologicae causam sui fori facere aut voluisse, aut potuisse.

§. LII. Absoluta circa Censuram Lovaniensem observatione, Ingenuus Author duas alias observationes §. 2. et 3. instituit, unam *circa concordiam gratiae et libertatis a Molina tentatam*, et alteram *circa dicteria Adversarii in Molinam, et Suarium coniecta.*

Concordia
quidem Lu-
dovici Mo-
linae

§. LIII. In prima illa cum Ludovico Molina observat, *gratiam necessitantem* Calvinii reipsa convenire, aut saltem non satis, et nominatenus tantum, differre a *gratia praedeterminante* Thomistarum, sicque huius doctrinam ad expugnanda Calvinii dogmata nullatenus esse sufficientem, cum eadem utrobique sit salvandi liberi arbitrii difficultas; recte proin fecisse Ludovicum Molinam, qui neutiquam novitatis, aut vanae gloriae studio, sed Apostolico expugnandi Calvinismi zelo inflammatus suam Divinae gratiae

ab Autho-
re ingenue
multis ex
rationibus
commenda-
tur,

gratiae cum libero hominis arbitrio concordiam (anno eodem, quo Lessius et Hamelius in Belgio suam doctrinam) Ulyssipone in Lusitania edidit, ut hac ratione simul salvetur et supremum Dei Dominium, cum penes ipsum solum sit in hoc systemate, conferre, et conservare potentiam agendi libere, subministrare gratiam excitantem et adjuvantem, sine quibus nullum opus bonum, neque ipse in bonum consensus effici potest etc. et simul etiam salvetur libertas Hominis, cum penes ipsam sit, Deo sic decernente, ut gratia collata vel conferenda uti possit vel non uti, eidem consentire vel dissentire, potentia saltem antecedente, facere, ut Deus praevideat, gratiam hanc vel efficacem fore, vel inefficacem. postremo, doctrinam hanc neque menti S. P. Ignatii, neque Societatis instituto contradicere, quin potius eiusdem intentioni convenientissimam esse.

Quarum
tamen pri-
ma non mo-
do temera-
ria, et inve-
recunda,

§. LIV. Imprimis autem fat mirari non possumus, Authorem ingenuum, qui paulo ante tam graviter conquestus fuerat, doctrinam Lessianam a Lovanienfibus *velut haeresi Pelagianae* vicinam fuisse dictam, nunc vice versa Angelicam D. THOMAE, seu potius S. AUGUSTINI doctrinam audacia quidem vivaci, sed parum ingenua *velut haeresi Calvinianae* vicinam exhibilare, idemque modo facere, quod paulo ante reprobaverat.

verum e-
tiam falsissi-
ma est.

§. LV. Deinde vero, ut impactam Angelico Thomae iniuriam falsissimis innixam esse principiis ostendamus, non opus habemus, ut in exiguum harum pagellarum compendium integra Virorum Doctissimorum volumina conglomeremus, quibus Calumnia isthaec iam dudum, et adeo solide diluebatur,

ut

ut nihil magis; Sufficiat ex una parte Angelicam D. Thomae Aquinatis, ex altera vero parte diabolicam Calvinii doctrinam Legentium obtutibus ac iudicio proposuisse.

S. AUG. ET THOMAS.

Liberum Hominis arbitrium post peccatum actuale quoad Adamum, et originale quoad nos mansit *integrum, licet sauciatur, et si quoad aequilibrium sit infirmatum.*

Datur gratia Sufficiens, qua stante homo vere potest agere quidquid boni supernaturalis.

Homo praemotus et si agat *infallibiliter*, non tamen agit necessario sed libere.

Salvatur haec libertas non modo per sensum divinum, sed ex eo etiam, quod Deus quamlibet causam secundam moveat modo *eidem connaturali.*

Deus quidem omnia operatur in nobis, et facit, ut operemur, ita tamen, ut quae sunt Ipsius dona, nostra sint merita, et homo nihilominus *maneatur causa efficiens.*

CALVINUS CUM SUIS.

Liberum Hominis arbitrium post lapsum Adami nedum sauciatur et immutatum, sed *penitus extinguitur atque confectum esse.*

Nulla datur gratia sufficiens, nulla quoque datur hominis potentia ad bonum.

Homo praemotus non tantum *infallibiliter*, verum etiam *necessario* agit.

Homo praemotus in nullo sensu est liber, quia Deus omnes causas tam animatas, quam inanimatas *aequaliter movet.*

Deus ita operatur in nobis, et facit, ut faciamus, ut ea opera Deo soli, nullatenus autem homini, nisi *ut instrumento,*

uti ex antilogiis partibus utriusque

S. AUG. ET THOMAS. CALVINUS CUM SUIS.

Deus, a quo bona cuncta procedere debent, nullo modo dici potest *Author vel causa peccati*, etiamsi ad actum physicum concurrat.

Dum fermo est de prae-determinatione physica, id *Physicum* non obponitur *motiioni liberae*, sed *moralis* tantum, aut *externae* per *suasionem* v. g. *factae*.

Deus ita *boni malique causa est*, ut non minus *proditio Iudae*, quam *conversio Petri* eiusdem sit opus.

Physica praemotio obponitur *motiioni liberae*, et consequenter, quod *physice* praedeterminatur, *necellario* movetur.

clare ostenditur,

§. LVI. Iudicet nunc benevolus Lector, an et quanam sit inter Angelicum et Calvinum disparitas? an non e diametro ut aiunt, et contradictorie sibi obponantur utriusque partis assertiones? an non ignorantia crassa, vel omnino affectata laborent illi, qui doctrinam hactenus ab universa Ecclesia summis laudibus exornatam, et publice adprobaram cum haeresi Calviniana comparare non erubescunt? nunquid inique scripsit Contensonius Lib. 5 dissert. 3. cap. 2. *si bonis rationibus ex misera suae causae conditione destituti sint* (Moliniani) *ad lutulenta saltem et inepta convitia non confugiant, a dissertationibus ad iniurias non veniant, modum habeant, et finem faciant dieteriorum, a quibus nonnisi disceptantium Odia, et legentium scandala derivantur.*

uti etiam ex Historia Congregationum de auxiliis,

§. LVII. Quod autem S. AUGUSTINI Divinae THOMAE doctrina nullam prorsus cum doctrina Calvini affinitatem habeat, quod semper tanquam sana et catholica in Ecclesia floruerit, et ut talis etiam

etiam post concilium Tridentinum, ubi Calvinismus iam altas ubique radices egerat, hucusque semper sit agnita, nemo certe, nisi quem sinister animi affectus captivum teneat, negabit unquam; et quidem, quod S. AUGUSTINUM attinet, benevolum Lectorem, ut pagellarum consulamus angustiis, ad nostra Theoremata, 8vum videlicet, 9num, 10num, ac 11mum remittimus; S. THOMAE autem genuinum Systema ab omni Calvinismi suspitione immune declarabatur in Congreg. 14ta et 15ta de auxiliis, prout fuse in earundem Historia videre est; ubi simul reperies, amice Lector, quam infideliter, ac proin et infeliciter P. Ferdinandus Bastida S. Thomae Aquinatis, ac Thomistarum textus citaverit, ut iisdem invitis Calvinismi notam adaspergeret; quam valide autem ac solide a P. Lemosio Dominicano tanquam falsarius coram summo Pontifice convictus fuerit, aequè iniquus D. THOMAE, uti eius Socius P. Gregorius de Valentia S. AUGUSTINI citator.

§. LVIII. Omnes autem P. Bastidae obiectio- nes de Calvinismo Thomistico factas penitus iugula- vit P. de Lemos, ubi post ducentos D. Thomae A- quinatis textus genuine allegatos, ipsum etiam Ca- thechismum Romanum iussu Concilii Tridentini edi- tum, a S. Pio V. probatum, et universis Fidelibus praescriptum in medium adtulit, quaerens ex P. Ba- stida, an et istum Calvinismo proxime accedere pu- tet? cumque ille negasset, subinferebat, huius doc- trinam esse ipsissimam cum illa D. THOMAE; ait enim P. 1. cap. 3. q. 20. *non solum Deus universa, quae sunt, Providentia sua tuetur atque administrat, verum etiam, quae moventur et agunt aliquid, inti-*

et Cathe-
chismo Ro-
mano,

ma virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut, quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen; cum Eius occultissima vis ad singula pertingat, et quemadmodum Sapiens testatur, attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter; quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantes colebant: non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, et sumus. quae quid aliud sunt, quam ipsissima Doctrina illa, cuius asseclas Moliniani ut minus catholice sentientes passim fugillant.

Concordia
Moliniana
nec unquam
indiguit,
nec indige-
bit Ecclesia.

§. LIX. Quo fine, qua intentione, quove motivo Ludovicus Molina novam suam liberi arbitrii cum gratia Divina concordiam elucubraverit, nostri fori non est iudicare, iudicent illi, qui, quemadmodum Lovaniensium, ita et aliorum scrutari corda et renes se posse putant; id solum reponimus, Ecclesiam Catholicam novis huiusmodi armis in officina Moliniana fabricatis non indiguissse, ut contra novos arbitrii hostes Calvinum atque Lutherum belaret bella Domini; ad manus illi erant amplissima, omnique armorum genere instructissima SS. LL. Traditionum, Conciliorum, SS. Patrum atque Doctorum armamentaria, unde, veluti turris fortissima, e qua mille pendent clypei, probe instructa, iam quindecim Saeculis contra libertatis humanae Hostes absque omni adiutorio Moliniano invicte pugnavit, ac deinceps invicta manebit usque ad Saeculi consummationem; Vas Electionis et gentiliū Doctor PAULUS dum in suis ad Rom. ad Corinth. ad Ephes. ad Galat. ad Philipp. etc. mysterium Divinae Gratiae longe uberius, ac caeteri Apostoli, et ex professio

trac-

tractaret, nullibi ad Scientiam mediam, vel ad prae-
visam voluntatis humanae determinationem, sed sem-
per ad *mysteriorum altitudinem*, ad *inscrutabilem iu-
diciorum abyssum*, ad *infinitum bonitatis thesaurum*
adpellavit; **AUGUSTINUS**, cuius *Viri ductu*, teste
S. Prospero, *viginti et amplius annis contra inimicos*
gratiae Dei Catholica acies pugnavit, et vicit, non
armis e suo cerebro natis, sed quae Ipsi Scriptura,
traditio, concilia et Patrum testimonia subpeditave-
rant, quosvis adversarios debellavit; **CONCILIA**,
PATRES, **ET PONTIFICES**, qui sequebantur,
quotiescunque haeretici contra gratiae necessitatem,
vel hominis libertatem acuere calamum, nunquam
ex proprio ingenio, sed ex pretioso veterum depo-
sito resposae promebant, rati, argumenta polemica
eo esse solidiora, quo antiquiora, et eo minus utilia,
quo sunt noviora; ipsummet Concilium **TRIDEN-
TINUM** in Spiritu S. congregatum perversa Lutheri
et Calvinii dogmata infallibiliter prostravit, quin
doctrina Moliniana unquam opus habuerit, magis
aestimans ad firmandas fidei veritates humilem alti-
tudinis confessionem, quam facilem tanti mysterii
explicationem humano captui adcommodatam; sed
hisce omnibus non obstantibus audet Molina dicere
Q. 23. art. 4. disp. 1. memb. 6. *quae* (suae putat
concordiae fundamenta) *si data explanataque semper*
fuiſſent, forte neque Pelagiana haeresis fuiſſet exorta,
neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri liber-
tatem fuiſſent ausi negare, neque ex Augustini opinio-
ne tot fideles fuiſſent turbati, facileque reliquiae illae
Pelagianorum in Gallia fuiſſent extinctae. infelix er-
go Augustinus, cuius ignorantia tot fideles scanda-
lizavit, et cuius opinio nec Pelagianos nec Massi-
lienses

lienses prostravit; infelix Ecclesia, quae tamdiu sedens in tenebris nec orituras praecavere haereseis, nec ortas ex defectu Moliniani systematis sedare potuit!

Communis
illa regula:
medio tutis-
simus ibis,

§. LX. Gloriatur equidem Author noster ingenuus, per systema Molinianum salvari supremum in creaturas Dei Dominium, et simul etiam liberrium humanae voluntatis arbitrium; sed nosse iuvat, in huiusmodi controversiis, ubi Scyllam inter, atque Charybdim versamur, medium semper tenere, tutissimum esse, nisi claram pro alterutra parte sententiam Ecclesia ferat; sic SS. Patres, sic Doctores catholici processerunt semper, ubi Nestorius nimiam in Christo distinctionem, Eytiches vero nimiam in Eodem unionem asseruit; sic agebat Augustinus, ubi vidit Manichaeos nimium voluntati divinae, Pelagianos autem nimium voluntati humanae tribuere; sic illorum dissensio, quorum quidam omnino nullam, ne rationis quidem, alii aut omnino realem aut quasi talem inter attributa Divina distinctionem admittunt; item, dum aliqui nullam penitus, alii omnino perfectam amoris adfectionem ad Sacramentum paenitentiae requirunt, eam confirmat regulam: *medio tutissimus ibis.*

nec quoad
supremum
Dei Domi-
nium in
Creaturas,

§. LXI. Sed videamus, quomodo supremum Dei Dominium in creaturas sufficienter salvetur per systema Molinianum! supremum Dei ut Authoris tam naturae quam gratiae Dominium in eo est situm, ut virtus Divinae potentiae tanquam Causae primae non modo in Causas secundas tam necessario, quam libere agentes, verum etiam in earum effectus influat; cumque id de causis physicis et necessariis

ex Philosophia ut certum subponatur, sequitur, eandem quoque rationem esse de agentibus liberis, et effectibus supernaturalibus, alias quippe Deus nec ens primum in omni genere entis, nec causa prima in linea cuiuscunque causalitatis vocari posset; nec sufficit influxus tantum generalis in linea supernaturali, per hunc enim e voluntate Dei antecedente manantem nec homo ab homine, nec effectus ab effectu, nec actio ab actione discernitur, hocipso quia generalis est, et omnibus communis; sed requiritur influxus specialis ad singulos effectus et actiones, ne dici posset, vel unicam existere entitatem, quae a supremo Dei Dominio sit independens, vel dari positivam aliquam actionem, quae immediatam suam originem Deo non debeat; ita S. Thomas, totaque Schola Thomistica, ipsique etiam primaevi nascentis Societatis furculi e sui S. Fundatoris praecepto; nec timendum, hac movendi vel influendi ratione destrui agentis liberi libertatem; nam supremus rerum Dominus causas secundas non aliter, nisi secundum naturalem illarum exigentiam dirigit, necessarias nempe necessario, et liberas libere; et sicut qua ens primum influendo in entia creata ipsorum entitatem non minuit, sed conservat, ita quoque qua liberum primum libera secunda nullatenus destruit, sed perficit potius, et conservat; si homo seipsum determinando sibi non adimit libertatem, quomodo Deus adimet, qui *magis in sua potestate habet hominum voluntates, quam ipsi suas*, utpote qui *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*; qui suave Ipsius iugum repudiant, pace nostra Dominium quoque negent, ac dicant: *non serviam.*

observatur
a Ludovico
Molina,

§. LXII. Quid autem Ludovicus Molina?
collocantes, inquit, Q. 23. art. 5. membr. 11. totam
certitudinem divinae Praedestinationis non in decreto,
quo Deus ei, quem praedestinabat, providere statuit
de iis mediis, quibus libertate sua perventurus in
vitam aeternam praevidebatur, sed in praescientia,
qua id praevidebat, ratione cuius tale decretum ac
providentia sortita sunt rationem Praedestinationis,
asseveramus. deinde: etenim arbitrium, sicut si, ut
potest, non esset taliter cooperaturum, non fuisset in
Deo praescientia, quod adultus ille mediis illis per-
venisset in vitam aeternam, sic neque decretum, quo
Deus ex aeternitate statuit per media illi providere in
vitam aeternam, habuisset rationem Praedestinationis,
ac tandem: Praedestinatio adultorum fuit secundum
praescientiam boni usus liberi eorum arbitrii, habuit-
que Deus rationem illius in eis praedestinandis. gra-
tiam ipsam, tanquam Domini huius exercitium
quod adtinet, docet Q. 14. art. 13. disp. 53. osten-
dimus, auxilia gratiae non habere ex sua natura,
quod efficacia sint, aut non sint, sed id pendere ex eo,
quod arbitrium eis motum et excitatum consentire et
cooperari velit, aut non velit. unde et gratiae effi-
cacious praevisae liberi arbitrii determinationi subii-
cit inquit disp. 40. sciendum est, nos non negare
communem illam distinctionem auxilii sufficientis in ef-
ficacem, et inefficacem, ita tamen, ut efficax libertatem
arbitrii non tollat, sed in potestate ipsius sit, cassum,
inefficaxque illud reddere, et ita, ut sufficiens inefficax
auxilium vere in seipso sufficiens sit, per ipsum tamen
arbitrium stet, quod illo non convertatur, atque
adeo, quod efficax non sit; quo fit, ut divisio suffi-
cientis auxilii in efficacem et inefficacem ab effectu, qui
simul

*simul ab arbitrii libertate pendet, sumatur; --- hinc
asserimus auxilia gratiae, quod efficacia vel ineffica-
cia sint, pendere a libero consensu et cooperatione ar-
bitrii nostri cum illis, atque adeo in libera potestate
nostra esse, vel illa efficacia reddere consentiendo et
cooperando cum illis, vel inefficacia illa reddere con-
tinendo consensum et cooperationem nostram, aut etiam
contrarium eliciendo.*

§. LXIII. Diiudicet nunc aequus Arbiter, Sed potius
a Thomi-
stis. cuiusnam doctrina, S. Thomae Aquinatis, an Lu-
dovici Molinae supremo Dei Dominio sit conve-
nientior? Ille non nobis, sed nomini Dei dat glo-
riam, iste homini seipsum ad consensum determinan-
ti; Ille creaturam auscultare iubet Omnipotentis de-
creta, iste Deum fingit scrutantem, quid factura
sit creatura; Illius doctrina Dei Dominium non mo-
do generaliter in causas ipsas, sed et specialiter in
singulos earum effectus adstruit, istius praeter ge-
neralem Dei concursus nullam in actiones ipsas po-
testatem Agenti primo concedit; Illius Systema ip-
sas etiam rebelles hominum voluntates a Deo com-
pelli probat, istius vero efficaciam Divinae volunta-
tis rebelli hominum voluntati submittit; iuxta illum
Deus ut Author gratiarum praecedat voluntatem
creatam, et facit, ut obsequatur, iuxta hunc autem
Deus tanquam famulus Creaturae primum expec-
tat, ad quid illa sit sese resolutura, sicque suis na-
turae viribus volentem sequitur; apud Angelicum
et Augustinum Dominus est, qui operatur in nobis
et velle et perficere, dum e contra Moliniani homini
tribuant potestatem, ut gratiam perficiat, et efficiat
efficacem; ab Illo docetur, Deum facere, ut sancti-
simus, ut ambulemus in mandatis eius, et opere-
mur,

mur, ab isto autem Divinae voluntati nihil aliud conceditur, quam ut facultatem homini tribuat, non qua, sed sine qua non operabitur; atque ut verbo dicam, Schola Thomistica supremam et liberrimam disponendi, decernendique potestatem voluntati Divinae, Molinistica vero voluntati humanae tribuit, adeo, ut gratiae divinae efficacia non a Deo, sed ab humana pendeat voluntate; iudica benevole Lector, uter ex ambobus iure meliori fortiorque supremum Omnipotentis in suas creaturas Dominium salvet? an Ille, qui Deum voluntatis humanae *Dominum*? an vero ille, qui Deum Eiusdem *pedissequum* facit?

neque etiam quoad salvandam hominis libertatem, prout in specie e Conc. Trid. colligitur,

§. LXIV. Hominis libertatem in Systemate Moliniano *facilius*, quam in Systemate Augustiniano vel Thomistico salvari, nullatenus inficiamur, sed quid ex hac explicandi *facilitate* lucretur *genuina veritas*, non videmus; tabula confracta exiguum naufraganti feret auxilium, nec fundus arenosus firmum praestabit futurae fabricae fundamentum; si putent Moliniani, in systemate nostro et olim suo periclitari hominis libertatem, cur ad Scientiam mediam noviter primum excogitatam, toties iamiam de Semipelagianismo suspectam, tot difficultatibus obnoxiam, atque, ut BELLARMINUS ipse fatetur, *a sententia Scripturarum divinarum, et B. Augustini alienam* confugiunt? nunquid et Massilienses olim libertatis humanae causam in se susceperant, eique patrocinaabantur, dum ad praevisa merita, ad futuribilia, ad gratiam versatilem confugiebant? sed quo effectu alio, nisi quod e libertatis defensoribus facti sint veritatis catholicae desertores? misera profecto libertatis humanae causa, si nonnisi probabili-

bus,

bus, aut omnino dubiis nitatur suffragiis! certe concilium Tridentinum, cui utique infallibilitatem non denegabunt Moliniani, ea ipsa sessione, qua contra Calvinum et Lutherum tractavit, nullo modo ad suppetias ab humana ratione ferendas, sed ad avitam Ecclesiae doctrinam provocavit Sess. 6. can. 4. in-
quiens: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari (ut male sibi fingunt Moliniani) *assentiendo Deo excitanti at-
 que vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gra-
 tiam se disponat ac praearet, neque posse dissentire
 si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino age-
 re, mereque passive se habere, anathema sit.* va-
 nus igitur et inanis est Ludovici Molinae timor,
 quo per Decretum Dei praedeterminans, et gratiam
 ab intrinseco efficacem tolli hominis libertatem exis-
 timat; Synodus ipsa, ut ex verbis mox allegatis
 constat, S. Augustini, Divique Thomae Aquinatis
 amplectebatur systema, et nihilominus hoc ipso stan-
 te systemate can. statim seq. 5. decidit: *si quis libe-
 rum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum
 et extinctum esse dixerit, - - - anathema sit.* imo con-
 tra Lutherum et Calvinum ex ipsis Augustini et A-
 quinatis principiis can. 6. asserere ausa fuit: *si quis
 dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas ma-
 las facere, sed, mala opera ita ut bona Deum ope-
 rari, non permissive solum, sed etiam proprie et per
 se, --- anathema sit.* ubi vides, Concilii Patres, li-
 cet iuxta ipsorum adversariorum confessionem Doc-
 trinae Augustinianae atque Thomisticae addictissimi
 fuerint, salvam tamen sartamque servasse hominis
 libertatem, contra illos etiam, qui eadem ipsa Au-
 gustini, divique Thomae doctrina in rem suam abu-



tebantur, quin propterea Patres illi aut Scientia media, aut gratia versatili, aut systemate Lessiano, aut monitione Salmeronis, et Lainezii (graviter propterea obiurgatorum) indiguerint. vide Pallavicin. lib. 8. cap. 13. n. 9. et Theorem. nostra §. 276.

Imo potius per excessum peccatur ab adversae partis Patribus;

§. LXV. Demus autem, in systemate Moliniano non modo facilius, verum et melius humanam libertatem salvari; quid inde consequitur, nisi quod illud, quemadmodum contra supremum in creaturas Dei Dominium *per defectum*, ut supra a §. 61. ostendimus, ita quoad libertatem hominis defendendam *per excessum* hallucinetur; humanae libertatis defensionem nemo magis, quam Pelagius, nemo subtilius quam Semipelagiani, nemo vehementius, quam Arminiani, nemoque libentius, quam laxioris Moralis Patroni in se suscipiebant, eo ipso ex capite in gravissimos errores lapsi, quod libertati humanae *nimum* faverent; nec Augustinus, nec Patres atque Doctores Ipsum sequentes ab Ecclesia unquam ut libertatis destructores insimulabantur, imo Ecclesia ipsa in Concilio Trid. ut vidimus, ex illorum doctrina ita supremum Dei Dominium asserbat, ut liberum nihilominus hominis arbitrium violarit nunquam; aequae igitur periculosum est, et supremum Dei Dominium cum praeiudicio libertatis humanae *nimum* extollere, et libertatis humanae causam cum praeiudicio divinae causalitatis *nimum* propugnare, sicque ab uno extremo in aliud deflectendo a via media tutissimaque declinare.

Quibus tantum abest, S. Ignatium favere,

§. LXVI. Unum adhuc est, quod silentio nobis praetereundum non videbatur, nempe „hac in re non egisse aliud Molinam, caeterosque e Societate „tate

„tate Doctores, quam quod instituto suo, et prae-
 „clarae S. Fundatoris sui doctrinae ac monitis erat
 „conforme.“ ita ingenuus Author pag. 31. citat e-
 tiam S. Ignatii verba ex lib. Exercitiorum Reg. 14.
 dicentis: *advertendum est, quamquam verissimum sit,*
nemini contingere salutem, nisi praedestinato, circum-
specte tamen circa hoc loquendum esse, ne forte gra-
tiam seu Praedestinationem Dei nimis extendentes, li-
beri arbitrii vires, et operum bonorum merita ex-
cludere velle videamur, vel e converso, ne plus aequo
tribuentes huic, illis interim derogemus. tum etiam
 Reg. 17. ita praescribentis: *neque itidem praedican-*
dae, et inculcandae gratiae Dei usque adeo insisten-
dum, ut serpere inde possit auditorum animis lethalis
error, negata liberi arbitrii nostri facultate; de gra-
tia quidem ipsa diffuse loqui fas est Deo inspirante,
sed quatenus in gloriam Eius uberiolem redundat,
idque iuxta modum convenientem nostris praesertim
temporibus tam periculosis, ne liberi arbitrii usus,
et operum bonorum efficacia tollatur. atque ex his
 verbis ingenuus Author unacum Suario Tom. 4. de
 Relig. Societ. in particulari lib. 9. cap. 5. dub. 12.
 infert, doctrinam Molinianam instituto Societatis,
 et Eiusdem S. Fundatoris menti ac monitis confor-
 mem esse; idque contra Thomistas, qui Molinianis
 obiciunt, eos post breve tempus a S. sui Patris
 doctrina degenerasse.

§. LXVII. Sed imprimis verba S. IGNATII
 (cuius doctrinam non tam humano studio, quam
 caelesti dono aquisitam venerabundi colimus) adeo
 sunt generalia, ut non modo Molinianis, sed et Au-
 gustinianis, Thomistis, aliisque omnibus Theologiae
 catholicae Professoribus ac Praedicatoribus pro regu-
 la

ut potius
 generaliter
 tantum pro
 omnibus,

la servire possint, ac debeant; iam dudum S. AUGUSTINUS agens contra Manicheos ita loquebatur de hominis libertate, ut potentiae divinae nullatenus praeiudicaret, agens autem contra Pelagium ita extulit gratiae virtutem et necessitatem, ut tamen arbitrium hominis nunquam destruxerit; idipsum observarunt et alii Patres, ubi de unione hypostatica nunc adversus Nestorianos, nunc adversus Eytichianos agendum erat; S. igitur Ignatius, sicut convenientem suis temporibus (ubi Lutherus et Calvinus contra liberum hominis arbitrium debachabantur) docendi methodum praescribens, prohibuit, ne gratia Dei et Praedestinatio nimis extendatur, sicque rudi populo pusillorum, vel haereticis Pharisaicum praebeatur scandalum; ita procul dubio, si temporibus Augustini vixisset, pariter cum Illo suos monuisset, ne liberi arbitrii vires nimium extollentes scandali occasionem praebeant Pelagianis; ut adeo Moliniani (S. Ignatio tunc adhucdum incogniti) ex allegatis non plus Patrocinii habeant, quam reliqui Theologi omnes, qui ad exemplum Apostoli 1. Cor. 3. alios lacte, alios esca nutrire debent.

contra il-
los autem
in specie
loquatur,

§. LXVIII. Cum igitur S. IGNATIUS in praelaudatis regulis non magis pro una, quam pro altera parte, adeoque generaliter tantum *de modo loquendi ad populum* differat, audiamus porro, quatenam specialiter *de ipsomet Theologiae systemate* sentiat, et a suis observari cupiat; et imprimis quidem Ipsemet Societatis Legislator teste *Masseio in Eius vita lib. 1. cap. 19.* Lutetiae Parisiorum in generali FF. Praedicatorum studio, ad S. Iacobum Theologiae Thomisticae navavit operam, huicque suo exemplo domesticum postea praeceptum iunxit, ut,
qui



qui nascente adhuc Societate, seseque vivente ante
cursum Theologicum fusciperentur, eundem aut in
praedicto Parisiensi, aut Abulensi, aut Vallisoleitano
collegiis secundum S. AUGUSTINI ac D. THO-
MAE Aquinatis placita persolvant; voluit nempe
S. Pater, ut, unde Ipsemet salutaria doctrinae fluen-
ta hauserat, nova quoque Societatis germina irri-
garentur.

§. LXIX. Deinde vero domesticum istud ^{prout ex}
praeceptum in publicam et perpetuam Societatis ^{propriis}
totius legem volens mutare. Parte 4. constitution. ^{Eiusdem}
cap. 14. expresse mandavit: *in Theologia legatur* ^{verbis, et}
vetus et novum testamentum, et doctrina scholastica
S. Thomae Aquinatis. haec non in libro exercitio-
rum, ubi modum solummodo generalem converfan-
di, loquendique proponit, sed eo in volumine tra-
dit, ubi expressam doctrinae Theologicae normam
imposterum observandam proponit; hinc eodem
Masseio in Eius vita lib. 3. cap. 9. teste, cum Mar-
tinus Olavius e S. I. in collegio Romano publicis
suis thesibus quasdam positiones D. Thomae Aqu-
inati contrarias inseruit, easdem deleri iussit, ne in
Doctorem Angelicum peccare videretur; hinc Or-
landino in Histor. S. I. lib. 6. n. 26. teste, suis
Theologis ad Concilium Tridentinum directis severe
interdixit: *ne novam ullam opinionem, firmis licet*
rationibus nixam, proferrent in medium (fuerunt au-
tem P. Alphonsus Salmeron, et P. Iacobus Lainez)
quae vel ad haereticorum commenta deflecterent, vel
ad illorum, qui nova sectantur, opinionem videretur
accedere, ut, quamdiu ab Ecclesia pars non definire-
tur alterutra, a probabilissimis etiam rebus assensum
cohiberent et linguam.

Ipsiusmet
Societatis
constitutio-
nibus atque
testimoniis
patet;

§. LXX. Mentem ac intentionem S. sui Fundatoris optime perspexit SOCIETAS ipsa, procul dubio ex Privilegio Discipulatus, (quod Aquinaticis toties obiiicit ingenuus Author) atqui vero haec ipsa Societas in Congregatione sua generali quinta expressis verbis constituit: *Sequantur nostri Doctores in scholastica Theologia doctrinam D. Thomae Aquinatis, neque deinceps ad cathedras Theologicas assumantur, nisi qui D. Thomae doctrinae bene adfecti fuerint, ab ea vero alieni a docendi munere repellantur* - - - congregatio unanimi omnium consensu statuit, doctrinam D. Thomae sequendam esse in Theologia scholastica, tanquam solidiorem, securiorem, **MAGIS ADPROBATAM ET CONSENTANEAM NOSTRIS CONSTITUTIONIBUS** - - - nostri omnino S. Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in scholastica Theologia sequi teneantur, tum, quia **NOSTRAE CONSTITUTIONES NOBIS EUM COMMENDANT**, et SS. D. N. Clemens VIII. id se cupere significavit, tum quia nullius hoc tempore (iam loquitur post inventum systema Molinianum) doctrina potest occurrere, quae sit ea solidior aut securior, ut non immerito S. Thomas Theologorum Princeps habeatur. Mentem quoque ac intentionem S. sui Antecessoris in Societatis Regimine procul dubio bene perspectam habuit P. **CLAUDIUS AQUA-VIVA**, qui tamen et Ipse in lib. de rat. Stud. Tit. de opinion. delectu propos. 13. manifestam S. Augustini, divique Thomae Aquinatis doctrinam sequutus ait: non solum ex parte nostra nulla fuit ratio seu conditio Praedestinationis, sed neque absolute dicendum est, esse in nostra potestate, ut praedestinemur, nec salvi fiant ulli, nisi Praedestinati; Repro-
ba-



bationis vero, qua caeteri homines exciderunt ab ultimo fine, causa fuit peccatum originale. mentem S. sui Legislatoris optime procul dubio perspectam habuit eminentiss. Card. BELLARMINUS, qui tamen, praeterquam Author noster ingenuus putat, Molinam positive refutat lib. 2. de grat. et lib. Arbitr. cap. 12. scribens: *Gelasius in concilio septuaginta Episcoporum non solum probavit omnia scripta S. Augustini et S. Prosperi, sed etiam e contrario damnavit libellos Cassiani et Fausti Regiensis, etsi non ignoraret, potissimam contentionem inter Prosperum et Cassianum, deinde vero inter Fulgentium et Faustum de scriptis S. Augustini - - fuisse; itaque Sedes Apostolica non tantum semel sed etiam secundo ac tertio adversus Pelagianorum reliquias - - sententiam tulit, ut iam haec sententia non quorumvis Doctorum opinio, SED FIDES ECCLESIAE CATHOLICAE DICI DEBEAT.* quod idem etiam repetit lib. de Praedest. cap. 11. quinimo in specie loquens de gratia liberi arbitrii praevisam cooperationem sequente cit. lib. 1. de grat. et lib. arb. cap. 12. ait: *Haec opinio aliena est omnino a sententia B. Augustini, et quantum existimo, etiam Scripturarum divinarum (cur non et aliena a Sententia S. Ignatii, et constitutionum Societatis) denique haec opinio evertit omnino fundamenta divinae praedestinationis.* haec Bellarminus; et quid Suarezius, quem in rem suam citat Author ingenuus? Is in suae Theologiae prolegomenis de S. Aug. cap. 6. *Apostolica Sedes, inquit, S. Augustini doctrinam de gratia SUAM effecit ac probavit; unde quod Ille in hac materia certum affirmat, et ad fidei dogma pertinens, a quolibet prudente et erudito Theologo tenendum est, ac defendendum, etsi*



certo non constaret, esse ab Ecclesia definitum; quia, cum Ecclesia in hac materia tantum detulerit Augustino, ut Eius doctrinam secuta fuerit, MAGNA ESSET TEMERITAS PRIVATI AUTHORE, qui Augustino contradicere auderet.

ut adeo et
praetensa
conformi-
tas,

§. LXXI. Possemus et plura Gabrielis Vasquezii, Henrici Henriquezii, Ioannis Marianae, Ioannis Azorii, Typhanii, Posslevini, Pererii, Petavii, aliorumque e S. I. Theologorum proferre testimonia (videantur, si placet, illa in Theorematis nostris Theor. 11. a §. 294.) quae omnia contra Molinam pugnant; sed allegata sufficere credimus, ut ex illis pro sua ingenuitate iudicare possit Author ingenuus, an S. suo Fundatori Ignatio, an Societatis primaevo instituto, an praecipuis e Societate Doctoribus conforme sit systema Molinianum?

et adver-
sarii quere-
lae non be-
ne substi-
stant.

§. LXXII. Processum denique iniuriarum, quem Praesentato suo movet Author ingenuus, nostrum, ut iam saepe monuimus, non facimus; id solum commemoramus, nec solum Praesentatum, nec solum Gonetum esse, qui Molinam de Superbia si non accusant, saltem suspectum habent; qui Molinam ipsum, qui eiusdem defensores, qui Historiam congregationum evolverint, iudicium ferent. Neque solus Praesentatus, neque solus Gonetus fuerunt, qui iam dudum, ac praesertim in congregationibus de auxiliis Molinismo, uti tunc erat, Semipelagianismi notam inusserant, ipsomet Clemente VIII. haud multum abnuente; sed manum de tabula.



CAPUT III.

*Observationes circa utriusque partis
fundamenta.*

§. LXXIII. **P**osteaquam Author noster ingenuus Regula SS. LL. exponendi ab Authore ingenue assignata quosdam Scripturae textus a Praesentato, Antagonista suo citatos ex Genes. 18. Item. 38. Eccli. 17. Math. 26. et 4. Reg. 15. adduxisset, sequenti §. 2. respondet „ illud monendum „ occurrit, ab utraque schola, tum Thomistica, tum „ ea, quae Societatis est, S. Scripturam in sententiae suae subsidium, et patrocinium adduci - - itaque „ que omne punctum tulisse hac in re videbitur „ pars illa litigans, quae S. Scripturae testimonia „ pro causa sua sic adducit, eamque sic explicat, „ suaeque argumenta ita deducit, ut et Dei potentiae, et humanae libertati, quod suum est, tribuat, idque non tam subtili quodam et implexo „ ratiocinio, quam plano et simplici cultu, modo „ que argumentandi, exponendique, “ et revera deinceps S. Scripturae textus aliquos nunc Potentiae divinae, nunc libertati humanae faventes ita explicat, ut facile combinari, et a quovis etiam illitterato intelligi posse videantur.

§. LXXIV. Sed enimvero, quis eam exponendi, explicandique SS. LL. Regulam unquam praescripsit? quis unquam Catholicorum admittet, Theorema istud et universale et perpetuum esse? in eo praesertim casu, ubi clara et expressa SS. Patrum et Conciliorum oracula, ab universali Ecclesia iam dudum recepta, novam quandam et arbitrariam privati

est contra
Regulam
Ecclesiae

vati hominis expositionem non amplius admittunt; nunquid et Nestorius hanc regulam secutus gravissime in fidei regulas peccavit, dum Christum nunc esse FILIUM DEI, nunc autem et FILIUM HOMINIS legerat? nam utramque filiationem salvare, ambosque textus combinare volens, duplicem in Christo Personam finxit; longe aliam tenebat viam concilium Ephesinum, quod parum curans, utra doctrina sit facilior, et captui humano adcommodatior, nonnisi ex Patrum traditione controversiam definivit.

in Concil.
Trid. prae-
scriptam,

§. LXXV. Longe quoque diversam ab opinione Authoris ingenui Regulam statuit Concilium Tridentinum, quomodo S. Scripturae verba sint exponenda, Sess. 4. *decernens praeterea ad coercenda petulantia ingenia, ut NEMO SUAE PRUDENTIAE INNIXUS* ex rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, S. Scripturam AD SUOS SENSUS contorquens, CONTRA EUM SENSUM, quem tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione SS. Scripturarum, aut etiam CONTRA UNANIMEM CONSENSUM PATRUM ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent; qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et paenis a iure statutis puniantur. ubi vides, communem S. Matris Ecclesiae sensum, et unanimem SS. Patrum consensum, non vero privati cuiusdam Interpretis arbitrium pro unica et securissima interpretationis norma constitui, a qua utique declinare videntur, qui S. Scripturae textus aliter,

aliter, ac S. Augustinus (*cuius*, ut saepe dictum, *doctrinam Ecclesia suam fecit*) exponunt.

§. LXXVI. Quemadmodum ergo nullatenus negamus, S. Scripturae interpretationem a Molinianis fieri solitam longe planiorem, simpliciorem, faciliorem, nostraeque capacitati adcommodatiorem esse, quod unicum est praetensae ab Antagonista nostro Ingenuitatis argumentum; ita e contrario ab Illo vicissim petimus, ut. S. Scripturae interpretationem a tempore S. Augustini Ecclesiae communem et usitatam agnoscat esse antiquiorem, veriore, solidiorem, et inscrutabili Mysteriorum altitudini conformiorem; quippe rei totius Cardo in eo non vertitur, utra pars plures pro se textus citare valeat; quia pugnare textibus pro lubitu explicandis Haereticorum est, sed traditionibus catholicorum; et aliunde ab experientia notum est, partes litigantes, circa sensum legis (non minus divinae, quam humanae) tamdiu frustra, et sine viribus pugnare, quamdiu iudex non habeatur, qui legem interpretetur; iam autem S. Augustini expositionem in textus divini verbi, praecipue D. Pauli hac de materia loquentis, nullatenus Molinianis favere, Molina ipse non uno loco fatetur, ac propterea gloriatur, eam se S. Scripturae interpretationem invenisse, quae S. Augustino nunquam in mentem venerat.

adeoque nullatenus observanda sunt

§. LXXVII. Omissis proin scripturificis huiusmodi velitationibus, quibus non Patrum et Ecclesiae autoritas, sed Spiritus privatus arma subpeditat, ad ea potius transeamus, quae Author noster ingenuus P. I. cap. 4. §. i. et seqq. de S. AUGUSTINI autoritate in medium profert, simulque argumen-

S. Augustini autoritas

gumenta e D. AQUINATE deprompta elidere conatur.

Respon-
siones Au-
thoris Inge-
nuis ad argu-
mentum I.

§. LXXVIII. Itaque ad Illum S. AUGUSTINI textum de Praedest. SS. cap. 10. *Praedestinatio-
ne quippe Deus ea praescivit, quae fuerat Ipse factu-
rus etc.* Respondet sub distinctione, inquit, „ Prae-
„ destinatione Deus praescivit, quae fuerat factu-
„ rus, nempe quae absolute futura sunt, *conc.* quae
„ pendent ab aliqua conditione *neg.* “ item „ praef-
„ cit praedestinando post scientiam mediam *conc.* an-
„ tecedenter ad illam, *neg.* imo S. AUGUSTINUM
ipsum pro se allegat loc. cit. dicentem: *Praedestina-
tio sine praescientia non potest esse. potest autem esse
sine praedestinatione praescientia.* ex quibus colligit,
non semper eandem significandi vim obtinere voces
praescientia, et *praedestinatio*, posseque multa voca-
ri praescita, non autem praedestinata.

non modo
non enerva-
tur, verum
etiam.

§. LXXIX. Sed parum subsidii colligunt ad-
versarii ex hac sua distinctione, qua supponunt, S.
Augustino ibidem de futuris conditionatis sermonem
fuisse; loquitur ibidem contra Massilienses, qui ra-
tionem, cur aliquis dignus, aliquis indignus sit gra-
tia concedenda, ex humana voluntate, praevisa uti-
que, derivabant; debuit utique Augustinus adfere-
re, quod Massilienses negabant, et negare, quod illi
obiiciebant; Praedestinationem praevisa hominis dig-
nitate posteriorem non negabant Massilienses, nega-
bant autem, futuram hominis dignificationem sui
ipsius a Deo antecedenter (per scientiam nempe me-
diam) non praevidere; debuit igitur Augustinus,
et voluit negare, dari in Deo talem *praescientiam*
futurae dignitatis et meriti ad gratiam, quae distin-
guere-

gueretur a *praedestinatione*, econtra vero admittit eam praescientiam sine praedestinatione, quae habetur respectu peccatorum, et reproborum; ubi nulla prorsus mentio de futuris conditionatis, in cuius confirmationem

§. LXXX. En propria S. P. verba loc. cit. Ex propriis Eiusdem verbis corroboratur.
Item quod dixi (in lib. seu opusculo contra Porphyrium) Salutem Religionis huius nulli unquam defuisse, qui dignus fuit, et dignum non fuisse, cui defuit, si discutiatur, et quaeratur, unde quisque sit dignus? non defunt, qui dicant (Semipelagiani videlicet) voluntate humana; nos autem dicimus: gratia vel praedestinatione; (quam autem? an illa praescientiam subsequente? an vero illa, quae illi obponitur?) inter gratiam porro et praedestinationem hoc tantum interest, quod praedestinatio est gratiae praeparatio. quod ubi ex Ephes. 2. v. 9. ac 10. ostendisset, pergit: Praedestinatio sine praescientia non potest esse, potest autem esse sine praedestinatione praescientia; iam explicat, qua de praescientia loquatur: Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat Ipse factururus (non igitur futuribilia, quae Ipse nunquam factururus erat) unde dictum est: fecit, quae futura sunt; praescire autem potens est etiam, quae Ipse non facit, sicut quaecunque peccata. ergo nulla hic de futuribilibus mentio; ergo praedestinatio et praescientia tunc solum differunt, cum nomine posterioris praevisionis peccatorum, quos et propterea praescitos, non praedestinos, vocamus, insinuatur.

§. LXXXI. Altera obiectio, cui respondet Author ingenuus, desumitur ex lib. 6. quaest. contra paganos S. AUGUSTINI, de quo ipsemet S. P. in

Eiusdem S. P. auctoritas tum in lib. 6. quaest. contra paganos,

in lib. 2. Retract. cap. 31. *Inter hæc missæ sunt mihi a Carthagine quæstiones sex, quas proposuit amicus quidam, quem cupiebam fieri Christianum, ut contra paganos solverentur, præsertim quia nonnullas earum a Porphyrio Philosopho propositas dixit; sed non cum arbitror esse Porphyrium Siculum illum, cuius celeberrima est fama; harum quæstionum disputationes in unum librum contuli non prolixum, cuius titulus est: Sex quæstiones contra paganos expositæ; earum autem 1ma est de resurrectione, 2da de tempore christiænæ Religionis, 3tia de Sacrificiorum distinctione, 4ta de eo, quod scriptum est: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, 5ta de Filio Dei secundum Salomonem, 6ta de Iona Propheta. hæc studio et ea de causa præmonere volumus, ut ostendatur, quo fine, contra quos, qua de materia, quave occasione hunc librum scripserit AUGUSTINUS, quamque misera sit illorum causa, qui AUGUSTINUM citant, de materia prædestinationis aut gratiæ tunc nequidem somniantem; ait autem ibidem q. 2. tunc voluisse hominibus adparere Christum, et apud eos prædicare doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. quæ verba cum Semipelagiani pro sua causa allegarent, S. AUGUSTINUS eisdem respondet lib. de prædest. SS. cap. 9. Illud autem, quod in opusculo meo quoddam contra Porphyrium sub titulo: de tempore christiænæ Religionis, me dixisse recolitis, ita dixi, ut hanc diligentiolem, et operosiolem disputationem de gratia præterirem, non sane omiſsa significatione, quod eam loco illo explicare noluissem, quæ posset alias, vel ab aliis explicari. testatur ergo S. P. se ibidem contra paganos, non contra Christianos locutum,*

tum in lib.
de prædest.
SS. cap. 9,
argumento
II. adducta,

tum, studio abstinuisse ab diligentiori et operosiori materiae illius tractatione, quae merito in aliam occasionem, aliudve tempus referenda erat; imo tacite protestatur contra illos, qui haec sua verba se invito, et violenter pro ea re usurpant, de qua ipsi non erat sermo; unde pergit: *nam ita locutus sum inter caetera, respondens propositae quaestioni: cur Christus post tam longa tempora venerit? proinde, cum Christo non obiciant, quod Eius doctrinam non omnes sequuntur* (si enim hoc obiecissent, nactus fuisset occasionem eo modo, quo Semipelagianis, iisdem respondendi) *quid respondebunt, SI EXCEPTA ILLA ALTITUDINE SAPIENTIAE ET SCIENTIAE DEI* (ubi fortassis aliud divinum consilium longe secretius latet) *sine praeiudicio etiam aliarum forte causarum, quae a prudentibus investigari queunt, hoc solum eis brevitatis gratia in huius quaestionis disputatione dicamus, tunc voluisse etc. ut supra. vides hic, AUGUSTINUM contra paganos loquentem sapienter praescindere ab altitudine Sapientiae et Scientiae Dei, atque a secretiori divino consilio, ad quod tamen, contra Semipelagianos agens, continuo adpellat. tandem concludit: Cernitis, me sine praeiudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum hoc de praescientia Christi dicere voluisse, quod convincendae paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quaestionem, sufficere videretur; quid enim est verius, quam praesciisse Christum, qui, et quando, et quibus locis in eum fuerant credituri? hic scribentem interpellat Author ingenuus, hic paeon canit, atque triumphum agit ante victoriam, hic congruitarum systema ab ipsomet AUGUSTINO probari asserit, eumque putat esse Molinianum; nos autem*

plus dicimus: fuisse in super Semipelagianum; sic etenim AUGUSTINUS ipse lib. de praedest. SS. cap. 3. de seipso, at simul etiam fatetur, se per unicum illum Apostoli textum: *quid autem habes, quod non accepisti etc.* ab ea sententia ita fuisse abalienatum, ut eam omnibus deinceps viribus impugnare nunquam destiterit; utinam ergo, qui sequuntur AUGUSTINUM errantem, sequerentur et paenitentem.

ubi clare
seipsum ex-
plicat, nul-
latenus fa-
vet,

§. LXXXII. Cum igitur S. AUGUSTINI verba, quae prioribus immediate subiunguntur, et quibus seipsum explicat S. P. utpote sibi minime faventia, prudenter subticuerit Author ingenuus, nos veritatis amore hic integra damus: *Sed, utrum praedicato sibi Christo a se ipsis essent habituri fidem, an Deo donante sumpturi? id est, utrum tantummodo eos praescierit, an etiam praedestinaverit Deus? quaerere ac differere tunc necessarium non putavi; proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus adparere Christum etc. posset etiam sic dici, tunc voluisse adparere hominibus Christum, et apud eos praedicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui NB. electi fuerant in Ipso ante Mundi constitutionem; sed quoniam, si ita diceretur, Lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quae nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosius et laboriosius disputari, visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum, EXCEPTA, ut dixi, ALTITUDINE SAPIENTIAE ET SCIENTIAE DEI, ET SINE PRAEJUDICIO ALIARUM CAUSARUM, de quibus non tunc, sed alias opportunius disputandum putavi.*

§. LXXXIII. Iudicet nunc, quicumque velit, an, et quantum ingenuus Author ex his verbis AUGUSTINI lucretur? an eadem esca parvulis, nempe infidelibus, et adultis in Christianismo educatis praebenda sit? an S. AUGUSTINUS, qui non in hoc tantum loco, sed in omnibus aliis contra Pelagium ex professo scriptis tam clare se explicat, dici valeat Molinianus? an non potius Molina ipse noviter a se inventam Scientiam mediam AUGUSTINO prorsus ignotam fuisse Q. 23. art. 4. et 5. fateatur? nunquid aliud iudex nuntiat, et aliud praeco clamat? at vero id miserae causae Patronis consuetum est, ut, dum Authorem sibi consentientem non habent, invitum trahant.

quin potius adversatur Authori ingenuo.

§. LXXXIV. Tertium argumentum petitur ex eodem S. AUGUSTINO dum S. Prospero interroganti „utrum praescientia Dei ita secundum „propositum maneat, ut eo ipso, quod opera sint „proposita, accipienda quoque sint tanquam praescita? “ lib. de Don. Persever. cap. 18. non 17. respondet: *Si Deus bona opera praescivit, profecto praedestinavit, quae vero non praedestinavit bona, non praescivit; - - si nulla est praedestinatio, quam defendimus, non praesciuntur a Deo; praesciuntur autem; haec est igitur praedestinatio, quam defendimus.* quem textum ingenuus Author ait sibi nullatenus contrarium esse, dummodo exinde non inferatur, praescientiam a praedestinatione dependere, cum utique iuxta Molinam praedestinatio potius ex praescientia pendeat, non vice versa; ita enim ille in terminis Q. 23. art. 4. membr. II. *sicut, si arbitrium, ut potest, non esset taliter cooperaturum, non fuisset in Deo praescientia, quod adultus ille me-*

Argumentum III. minus adhuc favet Molinianis,

diis illis perventurus esset in vitam aeternam, sic neque Decretum, quo Deus ex aeternitate statuit, per ea media illi providere in vitam aeternam, habuisset rationem praedestinationis. et clarius ibidem disp. 1. sicut praescientia pendet, tanquam a conditione *SINE QUA NON* fuisset in Deo, ex eo, quod arbitrium creatum sit cooperaturum; ita etiam, quod Decretum illud dandi media, providentiaque illa rationem praedestinationis fuerint sortita, ex eo fuit dependens tanquam conditione, *SINE QUA* illam *NON* sortirentur, quod arbitrium pro sua libertate esset cooperaturum, Deusque id praeviderit. qua igitur ratione AUGUSTINUS Molinae faveat, nullo modo perspicimus; habemus utriusque verba formalia: AUGUSTINUS ait, ideo bona opera esse praescita, quia praedestinata; Molina econtra, ideo bona opera esse praedestinata, quia praescita; quis non grandem advertit antithesin?

prout ex
Molina, et
Molinianis
ipsis,

§. LXXXV. Sed longe mirabilius est, quod Author ingenuus existimet, S. AUGUSTINUM nomine praescientiae nil aliud, quam Scientiam mediam intellexisse; cum tamen scientiae huius Author Ludovicus Molina passim a Fonseca Tom. 3. Metaphys. cap. 2. q. 4. sect. 8. a Vasquesio in I. P. S. Thomae disp. 67. art. 4 a Valentino Herice in eandem P. I. disp. 7. cap. 1. a Paulo Granado P. 1. tr. 5. disp. 3. sect. 2 a Fuligato lib. 3. vit. Bellarmini cap. ult. a Tiphonio lib. de ord. cap. 24. aliisque novioribus quamplurimis tanquam primus Scientiae huius inventor gloriose depraedicaretur; imo, cum Ludovicus Molina ipse loc. supra cit. ingenue fateatur: *Haec nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina praedestinatione A NEMINE, quem*
vide-

viderim (certe autem AUGUSTINUM vidit, et legit) hucusque tradita est. cum denique toties conqueratur Molina contra S. AUGUSTINUM, quod non satis attenderit, praedestinationem non fuisse sine praescientia huius liberi arbitrii; quod non advertit, quantum ad auferendam duritiam illam conduceret additio illa de praescientia; quod Caligine laborarit AUGUSTINUS, ipsiusque doctrina plurimos e fidelibus scandalizaverit; quod suo systemate non modo Massiliensium, sed et nostrorum Protestantium turbis in Ecclesia excitatis ansam praebuerit etc. ita in sua concordia Q. 23. art. 4. et 6. disp. 1. memb. 6. ficcine tractatur Amicus Moliniano systemati favens? ficcine discipulus concordat Magistro suo?

§. LXXXVI. Quanquam autem ex modo dictis abunde constet, AUGUSTINUM in Scientiae mediae patrociniū nullatenus vocari posse, eamque ipsam ob causam non leviter a Molina vapulare; quaedam nihilominus ex lib. de praedest. SS. delibare iuvat, ut ad oculum pateat, Augustinum in hac intricata materia, quam hic loci ex professo dilucidat, nunquam ad mediam quandam Scientiam confugisse; itaque cap. 12. de parvulis ante Baptismum decedentibus ait: *ubi venit ad parvulos, et ad ipsum mediatorem Dei et hominum Christum Iesum, omnis deficit praecedentium gratiam Dei humanorum adfertio meritum, quia nec illi ullis bonis praecedentibus meritis discernuntur a caeteris, ut pertineant ad liberatorem hominum, nec iste ullis humanis praecedentibus meritis, cum et ipse sit homo, liberator factus est hominum; quis enim audiat, quod dicuntur parvuli pro suis futuris meritis in ipsa infantili*

Maxime
vero ex
Augustini
doctrina
patet.

*fantili aetate exire de hac vita, et alii non Baptizati in eadem aetate mori, quia et ipsorum praescita sunt merita futura, sed mala, non eorum vitam bonam vel malam, sed nullam? - - iudicari autem quemquam non secundum merita, quae habuit, quamdiu fuit in corpore, sed secundum merita, quae fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore, unde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia, vestrae indicant litterae, mirans et stupens reperire non possum. deinde cap. 13. de meritis futurabilibus: Hominum futura, quae non sunt futura, procul dubio nulla sunt merita. item cap. 14. in illud Sap. 4. „raptus est, ne malitia mutaret, intellectum eius etc.“ dictum est secundum pericula vitae huius, non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit, quod futurum erat, non, quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset - - sed quare aliis concedatur, ut ex huius vitae periculis, dum iusti sunt, auferantur, alii vero iusti, donec a iudicio cadant, in eisdem vitae periculis vita productione teneantur, quis cognovit sensum Domini? - - cur autem hic tenuerit casurum iustum, quem, priusquam caderet, hinc posset auferre? iustissima omnino, sed inscrutabilia sunt iudicia Eius. en, quomodo humillimus Doctor in huiusmodi casibus non ad Scientiam quandam futuribilium, quae nulla vocat, sed ad sensum Domini et inscrutabilia Dei iudicia provocet. parcat nobis ingenuus Author, si prolixiores, quam par erat, fuimus; maluimus enim integris, quam truncatis pugnare textibus; cui haec non sufficiunt, legat Laudati
libri*

libri cap. 18vum per totum, legat integrum, si placet, AUGUSTINUM hac de materia ex professo scribentem, et, si vel micam de praescientia Moliniana invenerit, magnus nobis erit Apollo.

§. LXXXVII. Quod paulo ante Praesentato ingenuus Author obiecerat, in eundem recidere haud immerito existimamus; arguit enim illum, quod regulas criticas non observavit, citando Augustinum contra Molinianos, cum tamen ille scripserit contra Semipelagianos a Molinianis longe diversos; at vero paulo post, nempe pag. 66 et seqq. in Criticam peccat et ipse, dum D. THOMAM citat I. P. q. 57. a. 3. et q. 86. a. 4. tanquam de scientia Dei loquentem, dum tamen ibi de Angelorum, hic de hominum cognitione loquatur; si D. Thomam legisset, procul dubio advertisset, Angelicum Doctorem utroque in loco de futuris contingentibus Ordinis naturalis, non de iis, quae sunt ordinis supernaturalis, tractare; advertisset insuper, iuxta S. Doctorem futura libera naturalia in utroque statu, et supernaturalia etiam in statu naturae innocentis in seipsis tanquam sibi aeternaliter praesentibus; econtra vero futura libera (quae vere futura sunt) ordinis supernaturalis in statu naturae lapsae in decretis praedeterminantibus a Deo videri; ergo D. Angelicus male trahitur in partes Molinae.

§. LXXXVIII. Ut igitur pateat, quatenus sit mens genuina Doctoris Angelici, iuvat ipsum audire iis in locis, ubi non de cognitione Angelica, vel humana, sed ex professo de Divina differit; im- primis autem supponimus, D. THOMAM admittere, futura omnia contingentia et libera ordinis naturalis

Responsio-
nes ex D.
Thoma pe-
titae

Invito
Doctore
Angelico
factae, me-
rito a nobis
non admit-
tuntur,

cognosci a Deo non tantum ut idealiter, sed etiam ut physice in aeternitate praesentia; ait enim expresse I. P. q. 14. a. 13. in ☉: *Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in seipso; et licet contingentia in actu fiant successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia prout sunt in suo esse, ut nos, sed simul; quia sua cognitio mensuratur aeternitate, sicut etiam suum esse, aeternitas autem tota simul existens ambit totum tempus* (seu prout alibi loquitur, se habet per modum puncti centralis respectu omnium punctorum totius peripheriae) unde omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, quae habet rationes rerum apud se praesentes idealiter ut quidam dicunt, sed quia Eius intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate. Deinde vero specialiter de futuris liberis humanis loquens, I. 2. q. 9. art. 6. ad 3. *Dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc vel illud - - NB. sed tamen interdum movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam. en, quomodo S. D. motionem universalem a particulari, et naturalem a supernaturali distinguat, quod utique bonus criticus observare deberet, ut genuinum scientiae divinae medium assignare queat. sed audiamus ulterius, quid S. D. de scientia futuribilium, id est, revera nunquam futurorum sentiat I. P. q. 14. a. 9. dicens: quaedam, licet non sint nunc in actu, tamen*
vel

vel fuerunt, vel erunt, et omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis; -- quaedam vero sunt, quae sunt in potentia Dei vel creaturae, quae tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt, et NB. respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiae. nihil hic de quadam scientia media; unde rogatum velimus Authorem ingenuum, ut deinceps textus adducat ad rem facientes, non alienos et violenter adtractos, qualis etiam est ille in *l. dist. 38. art. 5.* ubi pariter S. D. generaliter tantum de futuris liberis, praescindendo a statu naturae integrae vel lapsae, loquitur, prout locum illum legenti facile patebit; citare potius debuisset, quae habet S. Doctor in *l. 2. a q. 109. et seqq.* sed de his in P. 3tia.

§. LXXXIX. Responsio ad 2dum Argumentum ex D. THOMAE I. P. q. 14. art. 5. petitum data, et aliis iterum Eiusdem verbis ex Commentar. in *l. dist. 27. q. 2. a. 2.* firmata, licet miris involucribus, torsionibus, ambagibus, atque subtilitatibus metaphysicis artificiose contexta sit, nil tamen aliud probat, quam prior illa; unde superfluum videtur, illius refutationi diutius immorari, remittimus tamen Authorem ingenuum ad solidioris Criticae regulas, quas a Praesentato requirit.

nti et Responsio ad argumentum Praesentati 2dum.

§. XC. Argumentum Praesentati tertium versatur circa famosam illam in Theologia quaestionem: *an scientia Dei sit causa rerum?* ex qua sane quaestione multum pependit celeberrima illa controversia inter S. Augustinum et Semipelagianos exorta, num ideo Deus praedestinet, quia praescivit, vel utrum ideo praesciat, quia praedestinavit? vel, quod

Scientiam Dei esse causam rerum negant Moliniani,

idem est: an rerum futuritio sit causa scientiae, vel, an scientia sit causa futuritionis? ubi iterum notandum, aliquam Dei scientiam esse rerum futurarum causam, nemo dubitat Catholicorum, sed quatenam illa? scientiam visionis affirmant cum Augustinianis Thomistae, negant vero, et pernegant, quotquot scientiam mediam profitentur.

Et proba-
re nituntur
ex Patribus

§. XCI. Hanc sententiam negativam „ non „ temere prolatam, sed auctoritate et ratione probe „ munitam, atque ex communissima Patrum etiam „ antiquorum doctrina deductam “ vocat Author noster ingenuus; atque in hunc finem allegat S. IUSTINUM M. Q. 58. in Bibliotheca VV. PP. Lugduni Tom. 2. dicentem: *non est praescientia causa eius, quod futurum est, sed id, quod futurum, est causa praescientiae; siquidem non praescientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur praescientia.* allegat ORIGENEM in Ep. ad Rom. scribentem: *non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur a Deo, antequam fiat.* allegat BOETIUM lib. 5. de consol. prosa 4. loquentem: *Scientiam Dei esse signum, quod tantum, quid sit, ostendit, non vero efficit, quod designat.* S. ANSELMUM lib. 2. cur Deus homo cap. 18. sic differentem: *est namque necessitas praecedens, quae causa est, ut res sit, et est necessitas sequens (scientia visionis) quam res facit.* denique VASQUESIUM allegat, qui hanc doctrinam e SS. CHRYSOSTOMO, DAMASCENO, CYRILLO, VEN. BEDA desumptam esse adfirmans disp. 68. cap. 6. ait: *communi Patrum doctrina, et ratione bene perspecta res haec extra controversiam esset, si animus indagandae potius veritati, quam contentioni esset intentus.* imo et

et Angelici Doctoris verba in subsidium vocat, lib. 1. contra gentes c. 66. et I. P. q. 14. a. 8. quem sibi favere putat ingenuus Author.

§. XCII. Quamvis autem utraque propositio in sensu catholico defendi queat, affirmativa tamen non tam leviter, ut existimat Adversarius, elidi potest; nam imprimis respondemus, Patres illos antiquos (si tamen textus illorum quantum ad Iustinum M. sint authentici) modo humano fuisse locutos, ut ab hominibus, nulla utique severiori Theologia imbutis eo facilius caperentur, quemadmodum de aliis etiam Patribus constat, Eos aliter ad rudes, aliter ad eruditos, aliter e Cathedra exegetica, et iterum aliter e cathedra dogmatica locutos esse; si enim singulas IUSTINI M. sententias tenere obligaremur, deberemus *millenarium in terris Christi Regnum*, de quo in Dial. cum Tryph. *generationem daemonum a daemonibus et filiabus hominum*, de qua in Apolog. 1. cap. 44. *Christianitatem Socratis et Heracliti*, de qua in Apolog. 2. admittere, quod nemo dixerit. Origenis authoritati, aliunde variabili, constantem in Ecclesia D. THOMAE authoritatem obponimus, quem ille P. I. q. 14. a. 8. ad 3. ex professo refutat, et contrarium ibidem in ☉ expresse defendit, ut infra videbimus. Severinum BOETIUM plus Philosophicis, quam Theologicis disciplinis imbutum fuisse, proindeque nullum ipsi inter locos Theologicos locum esse, nemo ignorat. quod S. ANSELMUM adtinet, legi et relegi totum istud caput, at, quomodo pro Molinianis citari valeat, omni adhibita industria deprehendere non potui; agit ibidem S. Doctor de *necessitate ac impossibilitate*, in quantum de Deo praedicari possint, praesertim dum de necessitate

Quibus tamen et negative,



te simul, ac libertate mortis Christi est sermo; hinc verbis ab Authore citatis immediate subnectit: *præcedens et efficiens necessitas est, cum dicitur caelum volvi, quia necesse est, ut volvatur; sequens vero, et quæ nihil efficit sed sit, est, cum dico, te ex necessitate loqui, quia loqueris; cum enim non dico, significo, nihil facere posse, ut, dum loqueris, non loquaris etc.* et sic porro per totum ita procedit, ut ne scintilla quidem de Dei scientia, ut causa vel non causa rerum, ibidem reperiatur; cur non potius S. ANSELMUM citant *de præscientia, prædestinatione et gratia cum lib. arbitrio concordanda?* nempe quia Augustinum in Anselmo loquentem timent.

et positive
responde-
tur,

§. XCIII. Notissima simul et verissima est criticorum regula, in legendo S. THOMA id omnibus aliis antefendum esse, quod in summa habetur, et id etiam, quod ibidem habetur in ☉, iis, quæ ad obiectiones respondet; citat Author noster lib. 1. contra gentes cap. 66. et resp. ad 1mum ex Origene petitum in P. I. q. 14. a. 8. sed videamus, quæ ibidem in ☉ dicat: *dicendum, quod scientia Dei est causa rerum; sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificia; scientia autem artificis est causa artificiatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum; unde oportet, quod forma intellectus sit principium operationis, sicut calor est principium calefactionis; - - - manifestum est autem, quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse, sit suum intelligere, unde necesse est, quod scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem coniunctam; unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia adprobationis. quinimo etiam ea, quæ*



quae S. D. contra gentes loc. cit. et contra Origenem dixit (cuius tamen verba, nescimus qua de causa ingenuus Author mutilaverit) nostrae doctrinae, si rite intelligantur, favere, quivis, qui legerit, facile intelliget.

§. XCIV. Quid autem, si textus textibus et quidem e.S. Scripturae, obponeremus, longe utique verioris, certioris ac maioris ponderis? nunquid Psalmistes Regius Ps. 103. v. 24. exclamat: *quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti!* nunquid idem Psal. 135. v. 5. Deum laudat, *qui fecit caelos in intellectu?* nunquid ipsamet sapientia divina, quando Deus praeparabat caelos, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terrae, cum eo erat cuncta componens Prov. 8. v. 27. nunquid sapiens cap. 7. v. 21. fatetur: *omnium artifex docuit me sapientia?* adtingit enim, ut ibidem cap. 8. v. 1. habetur, *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter?* nunquid Deus apud Ieremiam cap. 10. v. 12. *praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos?*

§. XCV. Obponimus deinde Iustino M. DYONISIUM AREOPAGITAM, aut quemvis alium, et SS. Patrum, certe vetustissimum, Scriptorem de Divin. Nomin. cap. 7. ibi: *Scientia Dei omnium est artifex, et semper omnia componit, estque causa indissolubilis cohaerentiae, et ordinis omnium, finesque priorum cum sequentium principiis semper connectit.* obponimus Origeni TERTULLIANUM in Apologet. inquitentem:

tem: Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam verbo, quo iussit, ratione, qua cuncta disposuit, virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum Maiestatis suae. Severino autem Boetio iustissime obponimus S. GREGORIUM M. qui lib. 20. Moral. cap. 23. inter alia: nam et quaecunque sunt, ait, non ab aeternitate Eius ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur. S. Anselmo non est, cur aliquem obponamus, cum ipse, ut diximus, loc. cit. longe quid aliud, quam scientiam Dei, ut causam vel non causam rerum pertractet, in aliis autem libris, praesertim in Dial. de lib. Arbitr. in lib. de Concordia praescientiae, praedestinationis, et gratia cum arbitr. non nobis, sed Molinianis potius sit obpositus.

Praesertim
D. Augustini,
et Doctoris
Angeli
auctoritate,

§. XCVI. Reliquorum tandem Patrum auctoritati, si tamen illi genuine a Vasquesio citentur, duos testes omni exceptione maiores obponimus, AUGUSTINUM, et ANGELICUM DOCTOREM; Primus lib. 6. de Trinit. cap. 10. expresse ait: non haec, quae creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt, sed potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter a Deo sciuntur. et lib. 15. cap. 13. universas creaturas suas et spirituales, et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit. unde comparat sapientiam divinam artifici, et inquit Tract. 1. in Ioan. Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia. Alter vero praeter illa, quae supra §. 93. ex ipso citavimus, etiam in I. dist. 38. q. 1. a. 1. in corpore habet: sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinae scientiae;

tiae; est ergo iste processus in productione artificiali:
 1. scientia artificis ostendit finem; 2. voluntas Eius
 intendit finem illum; 3. voluntas imperat actum,
 per quem educatur opus. unde simul colligimus,
 quare Doctor Angelicus in textu supra citato di-
 xerit: *neceffe est, quod sua scientia sit causa rerum,*
secundum quod habet voluntatem coniunctam.

§. XCVII. Argumentum 1^{um} et 2^{dum} con-
 tra Molinae scientiam mediam e ratione Theologica
 petitum suis responsionibus non tam infirmat, quam
 roborat; imo, quia tanquam certum supponit, quod
 primo probandum esset, scilicet, dari determinatam
 veritatem ante decretum Dei; 2^{do}, quod illam Prae-
 sentati obiectionem (si Deus tantum ea, quae cer-
 to futura sunt, praedestinat, tunc ea, quae sub con-
 ditione futura essent, non praedestinat, sed praede-
 stinaret, si conditio ponenda foret, consequenter
 etiam scientia futuribilium in Deo esset, actu au-
 tem non est; imo etiam futurorum absolutorum
 Decretum in Deo non est, sed erit) quoad alteram
 partem responsione quidem aliqua dignetur, priorem
 vero nulla; 3^{tio}, quod antiquam denuo crambem
 repetens et Augustini et Angelici Doctoris verba
 in subsidium vocet, quae tamen, quam parum
 faveant Molinianis, imo quam graviter potius, si
 sincere ac integre legantur, illos premant, iam
 supra ostendimus, quod nempe praescientia ma-
 lorum, de quibus expresse ibidem de Praedest.
 SS. c. 10. loquitur Augustinus, esse possit abs-
 que praedestinatione; non autem praescientia bo-
 norum, de quibus est sermo nobis, quodque D.
 Thomas I. P. q. 57. a. 3. de cognitione creatu-
 men-

Respon-
 nes Autho-
 ris ad Prae-
 sentati Ar-
 gume tum
 1^{um} et
 2^{dum},

mentionem faciat, non de increata Dei; 4to, quod in responsione ad argumentum Praesentati 2dum ex inutilitate scientiae mediae petatum, illam, renitente licet, ut supra §. 85. probavimus, Molina, „ e cineribus sacrae antiquitatis fuscitatum, „ a tot Academiis, et Viris sapientissimis ambo- „ bus ut aiunt brachiis amplexatum, ipsisque Tho- „ mistis fatentibus, claram atque dilucidam esse „ gloriatur; “ item, quod sine tabulis, sine testibus asseri dicat, Augustinum gratiam ex natura sua efficacem professum fuisse (cur ergo Augustinus apud Molinianos ob gratiam intrinsece efficacem tanquam libertatis destructor audit?) quod in tota hac sua responsione ostendat, quod nec Augustini, nec Doctoris Angelici mentem rite intelligat; sed plura in P. III.

uti et ad
3tium et
4tum

§. XCVIII. Sicut postmodum Author ingenuus in responsione ad argumentum tertium praecise dicit, praeter possibilia et absolute futura, dari etiam conditionata, seu futuribilia, quae nullo Dei decreto indigent, quin ea, quae dicit, probet; ita quoque in responsione ad quartum, non tantum nullam sat solidam, et positivam pro sua sententia rationem affert, sed insuper antagonistam suam cum Guilielmo Thuysio insigni Calvinista, et illius doctrinam, paucis verbis mutatis, cum doctrina huius comparare non veretur, etiam si huiusmodi respondendi, pugnandique genus in aliis meritis reprehendat; quod si Author acta legeret Congregationis 82dae de Auxiliis, die 1. Febr. Anno 1606. sub Paulo V. celebratae, reperiret ibidem, doctrinam de intrinseca



seca gratiae efficacia, licet a Molinianis de Calvinismo accusatam, unanimi tamen omnium suffragio tanquam vere catholicam, S. Scripturae, Conciliis, et Patribus conformem, adeoque longissime a Calvinismo distantem, fuisse declaratam, ac propterea etiam in ipsomet Concilio Trid. contra Calvinii errores adhibitam; imo insuper ex tota illarum Congregationum historia disceret, Molinae doctrinam 13 vicibus ut Pelagianam, et plus quam 22 vicibus ut Semipelagianam fuisse notatam; sed abstineamus ambo ab huiusmodi censurarum iniuriis.

§. XCIX. An responsio ad argumentum quintum, qua supremum Dei Dominium in hominis voluntatem et actiones per scientiam mediam sufficienter salvari posse existimat, sit adaequata, non perspicimus; in S. quippe Evangelio non Dominus servum, sed servus Dominum expectavit; in systemate autem Moliniano Deus decretum suum dandi gratiae efficaciam tamdiu debet suspendere, usquedum videat, ad quid homo in his vel illis circumstantiis ponendus sese determinaturus sit; plura hic non dicimus, quia hac de materia iam antea satis egimus, et forsitan in P. III. pluribus agendi habebimus occasionem. nec videmus, quomodo argumento sexto sit satisfactum, dum loco solidae responsionis ad inconvenientias e scientia media secuturas, nonnisi iteratam systematis Moliniani, aliunde utique sat noti, explicationem reponit, dein vero obsoletam, ac iam dudum ab ipsamet Ecclesia explosam recoquit accusationem, quasi per systema Thomisticum, vel Augustinianum, dum su-


ad quintum et sextum,

premiū Dei Dominium extollitur, subprimeretur liberum arbitrium, quod autem, quam falsum sit, nulla re magis, quam diligenti utriusque S. Doctoris lectione patefcet.

denique ad
septimum,
et octavum,
controver-
siam non
dirimunt.

§. C. Circa responsiones Authoris ad argumen-
tum Praesentati septimum et octavum id solum, quia
vocamur ad alia, animadvertere volumus, eum ar-
gumenta proposita suis explicationibus, distinctio-
nibus, et exceptionibus Ecclesiae per quindecim
Saecula prorsus ignotis effugere potius, quam fuga-
re, eosque Scripturae textus pro se allegare, quos
iam dudum Hipponensis Doctorum Aquila, sed in
sensu a Molinistis alienissimo, solidissime, ut inquit
Bellarminus, elucubravit; occasione autem respon-
sionis ad argumentum octavum, publice ac sincere
profitemur, nos iudicandi quemquam, aut tanquam
haeticum damnandi auctoritatem nobis nullatenus
arrogare, sed rogare potius Authorem ingenuum,
et Socios suos, ut et ipsi abstineant, velut
Iansenistas diffamare, qui non sunt
Molinistae.





P A R S II.

DE

PROBABILISMO.

CAPUT I.

Quid Nominis et rei sit Probabilismus.



§. I.

Ut Ordinem Authoris nostri observemus, Quid est Probabilismus? secunda hac parte agimus de Probabilismo, ceu de materia in scholis catholicis celeberrima, de qua, pro qua, et contra quam iam a ducentis propemodum annis maiori forsitan aestu, quam fructu pugnatum fuit, et adhuc pugnatur; quae materia, ut rite intelligatur, sciendum imo, nomine Probabilismi nihil aliud intelligi, quam doctrinam, qua conscientia ex motivis vere probabilibus ad formandum dictamen practicum hic et nunc prudenter quidem, tamen non sine aliqua formidine obpositi inclinatur; adeoque tota haec controversia de Probabilismo solum procedit

in concursu duarum sententiarum, quarum una probabilis, altera vero est probabilior; nam si unicum tantummodo motivum occurrat, nullum prorsus est dubium, illius sequelam, si vere sit probabile, non modo licitam, verum etiam, si actio ponenda sit, necessariam esse.

Quid Probabiliorismus, Rigorismus, et Laxismus?

§. II. Sciendum 2do, sicut *Probabilismus* obponitur *Probabiliorismo*, ita *Laxismus* obponi *Rigorismo*; de postremis hisce obpositis nobis sermo non est, cum uterque sit nimius, omne autem, quod est nimium, vertatur in vitium; et hinc sicut ALEXANDER VIII. anno 1690. die 8. Decembr. damnavit illam Rigoristarum propositionem: *non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. ita non minus recte INNOCENTIUS XI. anno 1679. die 2. Mart. damnavit aliam priori e diametro obpositam Laxistarum: *generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo probabilitatis finibus non exeat, consisti aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Controversia igitur inter Doctores utrimque Catholicos in eo tantum est sita, an in concursu duarum propositionum, quarum una quidem est probabilis, altera vero probabilior, liceat sequi probabilem, relicta probabiliori?

Quinam casus excipiantur?

§. III. Sciendum 3tio, quaestionem hanc non semper et ubique, sed in ea tantum materia procedere, ubi praecise agitur de honestate actionis; dum econtra ipsismet Probabilistis fatentibus 1. in materia fidei, 2. quando agitur de valore Sacramentorum, 3. in pronuntianda Iudicis sententia, 4. si tertius pateretur praeiudicium, 5. in praebenda infirmantibus medicina, denique 6. quando specialis adest

adeſt obligatio id eligendi, quod eſt perfectius etc. nunquam licet relictæ tutiori et probabiliori ſeligere ſententiam minus probabilem, minusque tutam; in aliis autem caſibus, aiunt, omnino licitum eſſe, ſecundum dictamen minus tutum, dummodo vere probabile, relicto probabiliori, tutiorique procedere.

§. IV. Sciendum 4to, Probabilitatem ipſam ita eſſe comparatam, ut, quod in SS. Patrum voluminibus dicitur *probabilius*, nunc probabile vocetur; illi enim probabilitatem ſumebant pro veriſimilitudine ut certitudini obpoſita, nos autem probabilitatem probabilitati obponimus; item, probabilem opinionem vel *ſpeculative*, abſtrahendo videlicet a circumſtantiis actionem aliquam comitantibus, vel *practice*, id eſt intuitu huius in individuo actionis, talem eſſe; quo fit, ut opinio, quæ ſpeculative foret probabilior, nunquam in praxi, et caſu particulari aut probabilis tantum evadat, aut omnino enervetur, et vice verſa; denique ſciendum, aliam eſſe probabilitatem internam, externam aliam, *interna* eſt, quæ deſumitur ex intrinſecis rationis, motivis, et ipſiusmet rei, de qua agitur, Principiis; *externa* vero, quæ Doctorum tantummodo authoritati innititur; ubi tamen advertendum, hanc authoritatem non ex Doctorum numero, ſed qualitate potius deſumendam eſſe, neque multum curandum, quot Authores, ſed quales et quanti quid adferant; ſic maior utique debet eſſe unius S. AUGUSTINI, vel D. THOMAE AQUINATIS authoritas, quam integre Caramuelis, Eſcobarii, Dianae, Laymanni, Buſenbaumii etc. cohortes.

Quotuplex ſit Probabilitas?

Regulae
pro vera
probabilitate;

§. V. Sciendum 5to, ut, quatenus opinio sit vere atque certo probabilis, dignosci valeat, a P. la Croix, insigni Probabilista, sequentia constitui signa: *a.* si opinio sciatur esse communis Theologorum; *b.* si opinio saltem a pluribus, uno tantum vel altero excepto, dicatur esse probabilis; *c.* si opinio quaedam omnibus diligenter expensis absolute teneatur ut vera a 5, vel 6 Theologis probitate, iudicio et scientia praestantibus; *d.* si tales Theologi de probabilitate opinionis non dubitent, etiam si alii Theologi eam opinionem reiiciant ut falsam; *e.* illa opinio est Viro docto et probato vere probabilis, quam ipse scit, se diligenter discussisse, et experitur, se sine passione vel inordinato adfectu ob rationes graves sic iudicare.

substantiae
probabilitatis
indicia.

§. VI. Sciendum 6to, ab eodem P. la Croix etiam notas indicari, ex quibus opinio leviter seu probabiliter probabilis discerni potest; nempe *a.* si Sapientes dubitent de probabilitate illius; *b.* si dubitetur, an eius Authores sint omni exceptione maiores; *c.* si ratio eius non videatur esse sat firma; *d.* si detur principium certum, et dubitetur, an haec opinio illi principio non repugnet; *e.* si sit opinio singularis Authoris, qui rationem sufficientem non adferat; *f.* si unus vel alter eam tradat, et plures alii dicant eam vel improbabilem, vel parum tutam, vel reiiciendam; *g.* si Author vel Authores illius non sint diuturnae ac probatae autoritatis, vel non sint mihi e suis libris vel scriptis sufficienter noti, idque verum est, quamquam sint multi aut plures, quia saepe unus exscribit ex alio, et sequitur velut ovis ovem; ita P. la Croix, et ex parte quidem optime; an autem omnes Probabilistarum

rum opiniones hisce regulis sint conformes? est alia quaestio.

§. VII. Sciendum tandem 7mo, opinionem probabilem, etsi formidinem de obposito non excludat, non tamen confundendam esse cum opinione vel conscientia *dubia*, haec enim ex utraque parte motiva habere solet ita aequalia, ut intellectus nullum prorsus iudicium ferre possit; dum econtra in conscientia probabili motiva sint imparia; distinguitur etiam probabilitas a *scientia*, cuius motivum est evidens, illius autem solummodo inevidens, ac propterea non convincens, sed suadens; differt a *Fide*, quae, licet non sit evidens, certa tamen est, quae notae opinionibus probabilibus certe non conveniunt; differt etiam a *conscientia certa*, prout ex terminis patet.

Conscientiae probabilis distinctio ab aliis.

§. VIII. His iam praemissis duo ingenuus Author opinionis probabilis exempla proponit; *immum* Duo casus probabilis.

est: „aliquis die Iovis circa noctis umbilicum cum
 „convivis lautae mensae adsidet, ubi carnibus vescitur; hic in una turri civitatis horologium campanae pulsu horam duodecimam denuntiat, aliud
 „vero alia in turri tertium quadrantem ad duodecimam promulgat; utrumque autem horologium
 „satis belle officio suo alias fungitur, et aequalem
 „fere auctoritatem habet, fidemque apud urbis illius
 „incolas obtinet; quid agat eo casu conviva? non
 „enim potest liquido ac certo secum statuere, horam esse duodecimam, seque lege obstringi, ut a
 „carnium esu absteat. “ *alterum* est: „Quidam
 „furtum summae notabilis, non quidem rei sacrae
 „sed profanae perpetrat eo ipso tempore ac loco,

„quo homines devotissime orant coram exposito
 „Evcharistiae Sacramento; dubius haeret, utrum
 „circumstantias illas delictum notabiliter adgravan-
 „tes, intra eandem tamen speciem, in S. Tribunali
 „exponere teneatur, vel utrum sine noxa tacere
 „queat? “ tum post aliqua interiecta pergit „quid
 „consilii in hoc rationum conflictu, quae vel utrin-
 „que sunt paris probabilitatis, vel tales, ut pro
 „una parte probabiliiores, pro altera vero minus,
 „vere tamen ac sobrie prudentes adsint? responde-
 „bit forte, sequantur isti, quod tutius, ac proba-
 „bilis est, abstineat prior ab esu carniū, alter
 „furtum suis vestitum circumstantiis rite exponat;
 „recte id quidem! sic nullum erit errandi, peccan-
 „dique periculum “ adeoque Probabilistae omnes,
 „(quod pro futuro discursu adnotare volumus) una-
 „nimiter fatentur, eum, qui opinionem probabilio-
 „rem, tutioremque sequitur, melius facere, et cha-
 „rismata meliora sequi; verum pergit Author inge-
 „nuus, „de hoc non quaeritur modo, sed, an homi-
 „ni obligatio gravis incumbat, agendi semper id,
 „quod est tutius, quodque probabilius? “

Quatenam
 fit Probabi-
 listni origo,

§. IX. Ex his iam facile perspicimus, quae-
 nam sit Probabilismi natura, quis finis et intentio;
 videt meliora, probatque, deteriora sequitur, et ut
 haec secure sequi possit, omnibus viribus contem-
 dit, ut iisdem honestatem aliquam conciliet, vane-
 timens, ne secus conscientiam torturae subiiciat, ho-
 mines a via perfectionis christianae absterreat, ani-
 mumque faciat aut deiectum, aut scrupulosum; va-
 num autem esse timorem istum, e sequentibus con-
 stabit, ubi videbimus potius, totum, sicut Moli-
 nis.

nismum, ita et Probabilismum in eo esse, *ut libertati humanae plus, quam securitati salutis faveat.*

§. X. Atque haec ipsa tam notabilis inter Probabilismum, et Probabiliorismum differentia grave illud bellum litterarium fuscitavit, quod post ducentos iam ferme annos eodem, quo caepit, fervore in scholis geritur, de quo Author noster hac P. II. cap. 1. §. 2. narrat, illud tum primum in apertas flammās e cineribus erupisse, cum Iansenistica secta in Gallia et Belgio erumpens, ut sub S. Disciplinae Ecclesiasticae pallio gravissimos errores suos obtegeret, multorum e Societate benigniorem doctrinam noxiae libertatis et morum corruptelae palam accusasset, atque convitiis, cavillationibus, contumeliis, omnique confictarum criminationum genere in orbis christiani conspectu qua libris, qua schediastmis male cohaerentibus sine fronte ac sine pudore proscidisset; conqueritur deinde illo ipso, quem in aliis carpit, amarulento stylo contra Blasium Pascalem, contra Guilielmum VVendrochium, contra Ioan. Bapt. Sinichium, contra Vincentium Contensonum, contra P. Ioan. Bapt. Gonetum, contra P. Natalem Alexandrum, ac praesertim contra P. Danielelem Concina, quod nigris adeo, et abominandis coloribus depinxerint innocuum, ingenuum, ac libero homine dignum Probabilismum.

§. XI. Miramur sane, ingenuum Authorem nostrum de iniuriis Probabilismo suo illatis tantopere conqueri, cum tamen ipse passim nunc intrinsecam gratiae efficaciam, nunc probabilioritatem, nunc praedeterminationem physicam censurae suae submittere, inaudita, vel non bene intellecta parte altera

et contro-
versia?

Quae uti-
que non
mutuis cen-
suris,

iudicare, styloque satis acerbo passim perstringere soleat; si tantus velit esse libertatis humanae fautor, cur eam suis Antagonistis denegat, qua et illi pari referre, proque domo sua possint agere Cicerones? neque enim est solus et unus P. Concina, qui rigorosam adeo trutinam ad expendendum Probabilissimum adhibuit, quemque (quia adversatur ipsorum operibus) tantopere averfantur Probabilistae: sed est insuper Clerus Gallicanus pro domo Israel zelo zelatus, qui in libello supplici Vicariis Generalibus Ecclesiae Parisiensis porrecto eam de probabilismo tulit sententiam: eiusmodi *Ethicam* (a probabilistis) tanto studio sparsam per totum orbem, minime christianam esse, utpote per quam christiani hominis bona mens, spiritusque extinguitur; nec iudaicam, aut pharisaicam, cum procul abiiciat, quam Iudaei et Pharisei summe colebant, legis litteram, externique hominis probitatem; nec philosophicam et humanam, cum insensa sit aequitati naturali, fidei humanae, sensuique communi, quibus humana Philosophia veluti certis adhaeret regulis; denique nec civilem, politicamque censi posse, cum humanae Societatis adeo convellat fundamenta, ut, quae eam admissura sunt Regna, Republicae, et Imperia, multis fraudibus, dolis, deceptionibus, et furtis cito sint interitura, proindeque sine fide, sine lege, sine ordine futura. est insuper iam supra P. 1. §. 28. laudatus Archipraeful Ultraiectinus, qui ad BENEDICTUM XIV. scribens inter alia narrat: in Belgio multa repererunt isti advenae (Probabilistae) Hierarchiam scilicet omnibus numeris absolutam, --- proprios Pastores in civitatibus, oppidis et pagis, miram inter plebem et Sacerdotes, Clerum inter et Sedem

dem Apostolicam concordiam, sanam doctrinam vigentem, inconcussa gratiae per se efficacis, et gratitae praedestinationis dogmata, incorrupta disciplinae moralis principia etc. - - - caeperunt isti Archiepiscopi exilium in rem suam vertere, optimos quosque Cleri absente Praesule traducere, verbum Dei adulterare, incertas indulgentias absque Archiepiscopi auctoritate, quam vilipendebant, publicare, Pastoralia propriis Pastoribus invitis administrare, publicos et obduratos peccatores sine praevia morum emendatione praecipitanter absolvere, matrimonio fideles clandestine coniungere, oves a propriis Pastoribus ad se abducere, et ex alienis ovibus sibi greges congregare. --- verum id nos summo dolore afficit, quod ab ipsis fere omnibus falsa pax detur, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura, quod operiantur morientium vulnera, et plagae lethales altis et profundis visceribus infixae dissimulato dolore contegantur, quod facilius dimittantur peccata, quam admittuntur, quod ex veniae facilitate ludus, et quasi incitamenta fiant peccandi; quod vis inferatur corpori Christi, ad cuius participationem quique corruptissimi admittuntur; quod divina Eucharistia, velut in nundinis viliores merces, quibuslibet promiscue offeratur, et quasi minoris licitantibus adiudicetur; quod cautiores sint Protestantes in peccatoribus ad suam caenam admittendis, quamvis in ea nihil, nisi figuram corporis Christi agnoscant, quam nostri in proprio et vero Christi corpore et sanguine cuilibet propinando. Haec ille. tandem vero est etiam Vir ille incomparabilis IOANNES PALAFOXIUS, Episcopus Osmensis in Castilia, qui non minus gravem in Probabilistas censuram tulit, ad Innocentium X. sequen-

tia scribens: Quae alia Religio doctrinam Sanctorum tanta libertate impugnavit, et illis verae fidei Antesignanis, Ecclesiae columnis, ac Theologiae micantissimis, et dignissimis praeceptoribus minus detulit reverentiae? in suggestis sacris, (idipsum autem et in Cathedris doctrinalibus quotidie fieri, ab experientia constat) iam reticet Augustinus et Ambrosius, obmutescunt Gregorius, Hieronymus, Chrysostomus, Cyrillus, et caeteri Ecclesiae non quomodocunque luminaria, sed luminaria fulgentissima; quidam tantummodo Neoterici a suis discipulis laudati exaudiuntur, et eorum autoritate dictis scriptisque doctrinam christianam fulcire nituntur; quod non solum dignitati verbi divini maxime indecens, sed neque animarum salutis securum existimo; si enim cuicunque Doctori eadem, quae Sanctis, autoritas est, maxime vexare potest Ecclesiam opinionum diversitas, et labefactari fidei puritas, et morum integritas, quae ex autoritate Patrum, et Sanctorum veneratione dependet.

Sed supremo Ecclesiae iudicio terminari debet.

§. XII. Sicut autem ex his allegatis nihil aliud probare contendimus, quam quod praeter P. Contensonum, Concinam et Praesentatum, longe adhuc plures, et autoritate graviores Viri extiterint, et etiamnum existant, qui probe perspectis Probabilissimi origine, fine, natura et effectibus, eundem condemnaverunt, et etiamnum condemnant; ita vicissim nullatenus inficiamur, hanc potestatem iudicariam non ab antiquis tantum in praescriptione atque SS. Patrum autoritate fundatis Doctoribus, verum etiam a Neotericis Probabilissimi ac libertatis humanae tutelaribus pro sua causa vindicatam fuisse, ac vindicari, quorum certe continua vox est, obpositam, et ut ipsimet Probabilistae sponte fatentur,



tur, securiorem doctrinam aut in Iansenismum degenerare, totque occultos esse Iansenianos, quot sunt Probabilioristae, aut non sine gravissimo animarum detrimento nunc inextricabiles conscientiae scrupulos, nunc animi perplexitatem, nunc timidae voluntatis desperationem, nunc divinae legis et religionis horrorem ingenerare etc. unde facile patet, ingenuum Authorem huiusmodi extensis contra censuras adversae partis Querimoniis facile potuisse superfedere, earumque iudicium una nobiscum, supremo Ecclesiae iudicio relinquere.

§. XIII. Scimus equidem, et non diffitemur, etiam extra Societatem ex aliis Religiosis ordinibus, et Clericorum statibus bene multos fuisse ac etiamnum esse, qui aut facilitatis aut novitatis amore ducti, probabilissimum pro focus et aris defenderunt; sed quid haec ad nos? qui contra nullam personam, sed contra omnes probabilistas calamum arripuimus, quoniam apud genuinam veritatem non est personarum, sed doctrinarum acceptio; neque id etiam negamus, quondam ex Universitatis nostrae Salisburgensis Doctoribus quosdam Probabilismo favisse, illumque publice tradidisse, antequam illa, expurgata methodo pure scholastica, strictiorem dogmaticae viam elegisset; at vero etiam istud ingenuo Authori nostro in aurem volumus dicere, unum ex illis Theologiam suam Parisios ad Sorbonnam pro adprobatione misisse, sed repudiatam recepit, eo solum ex capite, quod contineret Probabilismi doctrinam; haec fecerunt Parisienses, quorum tamen autoritas apud Authorem nostrum, ut vidimus P. I. §. 39. tanta est, quanta vix alia esse potest; tandem etiam permittimus, non omnes prorsus Theologos e Societate Pro-

Cum de Personis probabilissimum do- centibus nobis sermo non sit, potius

Probabilistas esse, prout Author ipse fatetur, licet ex ipsiusmet Probabilismi Principiis ingens pondus Probabilismo accederet, si is Societati foret Characteristicus; interea tamen credimus, etiam id nobis concedi, raros admodum esse nantes in gurgite vasto, qui periculi tempore relictæ minori, maiorem atque securiorem tabulam docent esse arripiendam, uti Praesentatus ex litteris P. Vitellesci Generalis recte observat, sed mittamus ista.

responde-
mus ad po-
stulatum
imum,

§. XIV. Ex hactenus relatis Author noster §. 3. postulata quaedam derivat, quibus breviter respondemus; et quidem ad postulatum imum: cum ipsemet Author fateatur, innumeros libros (*centones ille vocat contumeliis ac mendaciis plenos*) contra Molinistas, paucos autem, imo vix unum, contra Thomistas ab exortae huius controversiae fuisse scriptos, suam utique causam non meliorem, sed potius deteriorem facit? cum in ore duorum vel trium testium, multoque magis innumerosum, stet omne verbum? deinde vero de horum testium seu librorum qualitate iudicare, illosque authoritate Praetoria *Centones* vocare, non est privati hominis; alias quippe Author noster in illud ipsum decretum INNOCENTII XI. de die 2. Mart. 1679. impingeret, quod tamen in suae causae defensionem fol. 136. assumit. deinde, quam praecise ob causam Montaltius, Guilielmus VVendrochius, et Paulus Irenaeus damnati fuerint, nec P. Concinae, nec Authoris nostri regemus instructione, dum ipsummet Senatus Consultum hac de re Parisiis die 14. Octobris 1660. emanatum aliunde sat clarum est, ibi: *damnatus ab Ecclesia Iansenii haereses sustineri ac defendi tum in praedictis Montaltii litteris, et notis Guilielmi VVendrochii,*



chii, et Pauli Irenaei, detractationem vero et petulantiam adeo familiarem esse tribus illis Authoribus, ut non parcant ulli hominum generi, non ipsi supremo Pontifici, non Regibus, non Episcopis, non praecipuis Regni Ministris, non facultati Theologicae Parisiensi, non familiis Religiosis; et praedictum librum dignum esse poena a iure decreta in libellos infamatorios, et libros haereticos. ut ergo de Senatus-Consulti huius autoritate in rebus Theologicis nihil dicamus, sufficit, per hoc Senatus-Consultum ita probari probabilissimum, de quo hic agimus, sicut per argumentum illud: Baculus est in angulo, probatur, caelos esse rotundos; si ex isto SCTo probasset Author, tres viros praenominatos ob haeresin Iansenianam, ob detractationem, et petulantiam, ob inverecondum, et contumeliosum scribendi genus fuisse damnatos, conclusio foret legitima; at vero exinde probare velle, Viros illos propter defensum probabiliorissimum, aut impugnatum probabilissimum notatos esse, idem foret, ac surdis narrare fabulam; ipsemet P. Concina, quem hac occasione sat acerbè traducit Author noster, non diffitetur, illos et Ianseniana infectos haeresi, et violatae sinceritatis in Casuistarum textibus referendis fuisse reos, proindeque iure merito damnatos; illud nihilominus contendit, eorundem argumenta, quibus impugnant probabilissimum, aequè pia et laudabilia esse, ac impia et abominabilis fuit scribendi methodus; multi causarum Patroni ob exorbitantem patrocinandi modum perdidit famam, quin tamen causa, utpote iusta, ceciderint; sic P. Concina non minus, quam ipsummet SCTum non tam censuras in Probabilissimum iactas, quam calumnias in eiusdem Patronos iactas

condemnabant. quod autem in specie P. Conciniam addinet, de quo etiam supra frequens facta est mentio, specialem ad finem huius Partis II. subnectere Adpendicem iuvabit.

ad postu-
latum se-
cundum,

§. XV. Postulat ulterius Author noster, ex eo, quod fundamentalis illa probabilistarum propositio: *licitum est, amplecti opinionem minus probabilem, si modo vere ac theologicè probabilis sit*, nunquam a summa fede damnata fuerit, iure sequi, tutius ac probabilius esse, si Probabilioristae a censuris et convitiis in probabilismum fulminare solitis abstinerent, quam quod periculo SS. Pontificum decreta praevaricandi sese exponant; haec perennis probabilistarum lamentatio! dum obpositae parti centenas Iansenismi, rigorosissimi, Calvinismi, Tyrannidis, et nescio quorumnam monstrorum notas incurrunt, ipsi ne digito quidem tangi se patiuntur; sed quid haec ad nos? qui toties iam protestati fuimus, et etiamnum protestamur, nos nec convitiatorum, nec calumniatorum causam ullatenus nostram facere, nec manum armasse contra Personarum, sed contra causarum vitia; deinde vero, quantum ponderis habeat argumentum ex aliqua propositione nondum positive damnata ductum, eo quod mere negativum sit, ex generalibus criticis regulis, atque ex iis, quae supra P. I. §. 43. monuimus, sat clare colligitur; de caetero Probabilistis pro salutari doctrina illa, quam nobis apud Authorem fol. 140. praebent, nempe in censurandis aliorum doctrinis sententiam probabiliolem, tutioremque tenendam esse, gratias agimus, quas debemus; at simul interrogamus, an ista regula nobis tantum, an autem et Probabilistis data sit? an caeca obedientia Probabilista-

rum

rum suasionibus in hac materia tantum, vel an etiam in aliis obtemperandum, vel utrum praeivium ipsorum exemplum sit expectandum?

§. XVI. Ad postulatam tertium, cum nil nisi postulati secundi sit continuatio, repetitam ut antea reddimus responsionem; unde et integrum Syllogismum ibidem formatum admittimus, negando tamen subpositum, notas pure scholasticas, aut censuras pure Theologicas et moderatas aliquando a SS. Pontificibus prohibitas esse; si *censurae* omnes inter doctores Theologos inhiherentur, cessaret omnis opinionum, sententiarum, doctrinarumque diversitas, tacerent omnes discentium exercitationes, atque docentium quoad indagandam veritatem labores, langueret ingeniorum industria, et sensim aut ignavia, aut ignorantia praevaleret, imo ipsimet Ecclesiae quodammodo via obcluderetur, dirimendi dogmata controversa, utpote quae ab eo tempore, quo pro Patribus suis nati sunt eidem Filii, ad faciendas veritatum catholicarum declarationes nunquam non Theologorum censuras audire, expendere, ac diiudicare consuevit, cuiusce rei exempla plurima et patentissima in historia Conciliorum praesertim occidentali, ac novissime Tridentini subministrantur; cum enim *censura* a *censendo* sit adpellata, quilibet autem in rebus nondum definitis in sensu suo abundare, adeoque, prout ipsi visum fuerit, censere possit, non videmus, cur nobis a parte adversa omnis censendi potestas denegetur, neque inter censuras iudiciarias, et privatas admittatur distinctio; idem de *notis* intelligendum; nam aliter Iudex reum, aliter pars una litigans alteram notat; ille iuxta ipsosmet Probabilistas opinionem probabiliorem pro inurenda

ad tertium, p. 65

erroris nota debet feligere, posteriores autem intra limites probabilitatis contentae, dum se invicem erroris arguunt, ita se mutuo notare possunt, ut nec iustitia, nec charitas violetur.

ad quartum

§. XVII. In Postulato, quarto iterum Author noster contra P. Concinam conqueritur, quod ille dixerit, *sententiam benignam fuisse saepius a SS. Pontificibus damnatam*; ubi testes, exclamat Author ingenuus, ubi tabulae? „ forte, quia damnarunt alii, „ quas propositiones, quae circa singulares casus ver- „ santur? vel quia damnarunt aliquam propositionem „ generalem, in qua continetur probabilismus? non „ primum; nam ex eo, quod aliqui ex principio „ vel male intellecto, vel perperam applicato opi- „ niones et sententias quasdam minus sobrias et cen- „ sura notatas protulerint, nulla ratione sequitur, „ ipsum principium et fundamentum esse damna- „ tum - - non secundum; adferant enim in medium, „ si talem aliquam propositionem generalem sciant, „ ubi damnatus sit probabilismus genuinus? „ sed ad quid haec omnia contra P. Concinam et Probabilioristas lamenta? nemo sane dixerit Probabilismum in genere damnatum fuisse damnatione positiva atque directa; hoc tamen nemo negabit, eundem saltem per indirectum, et eatenus damnatum fuisse, quatenus genuini illius faetus proscribebantur, ut statim audiemus; quod in hoc postulato stomachum nobis movit, est incondita illa inter S. Scripturam et Probabilismum comparatio, dum Author noster sic argumentatur: ex eo, quod haereses e Scriptura male intellecta procusae ab Ecclesia damnatae fuerint, non sequitur, damnatam quoque fuisse Scripturam ipsam; ergo etiam, quod damnatae fuerint opiniones quae-

quaedam probabiles, non sequitur, genuinum etiam probabilissimum damnatum fuisse; *quae enim Societas luci ad tenebras?* aut quae conventio verbi divini cum invento humano? in Scriptura S. Deus, non homo, in probabilismo autem, non Deus, sed homo loquitur; Scriptura S. nobis ab Ecclesia ut credendorum, et agendorum regula proponitur, nullibi probabilissimus; de illa dolet Augustinus, quod *Scripturae BONAE non bene intelligantur, et peius interpretentur*; probabilissimus autem primum probabiliter probare debet, *se se BONAM animam sortitum esse*; de illius auctoritate nemo disputat Catholicorum, soli sunt haeretici, qui eandem pessumdant, de probabilissimi vero auctoritate plurimi dubitant Catholicorum, et eiusdem negant soliditatem; Scriptura suum habet Iudicem, Custodem, et interpretem infallibilem, veritatis amantem, Probabilissimus autem homines privatos, nulla publica potestate munitos, ac non tam saluti et securitati, quam libertati faventes; unde haereses e Scriptura natae damnari possunt, quin vel minima SS. litteris aspergatur macula, quia huiusmodi haereses scandali potius Pharisaici, quam verbi divini sunt partus; aliter de probabilismo dicendum, qui de scandalo dato excusari vix potest, eo quod opiniones damnatae ex probabilibus principiis legitima fluant consequentia, nec Matrem negare possint.

§. XVIII. Genuinos certe, ac innegabiles factus esse quamplurimas opiniones ac propositiones a summa Sede damnatas, eo minus negari poterit, quo arctior est illas inter, et generale Probabilistarum principium nexus, istud enim sic sonat: *licitum est sequi opinionem minus probabilem, quae tamen vere* Idque patissimum ab exemplis opinionum probabilium damnatarum.

*sit probabilis, relictā probabiliori; si ergo principium ipsum consideremus, imprimis non est universale, quia iuxta ipsosmet Probabilistas quoad Ministrum Sacramentorum, quoad Iudicem, quoad Medicum etc. patitur exceptionem; deinde non est clarum, quia non determinat, in quonam vera probabilitas Theologica consistat, sicque cuivis quamvis probabilitatem tanquam veram agnoscendi sit aequa potestas; tandem eo ipso ex capite non est sat securum, quia partim humanae tantum innititur auctoritati, prout constat e quotidiana experientia, partim non bene cohaeret cum principio illo D. Pauli Apostoli Corinthiis ep. 1. cap. 12. dato: *aemulamini autem charismata meliora*. Quod vero principii huius sequelas adtinet, una est procul dubio propositio ista num. 28va ab Alexandro VII. anno 1665. damnata: *si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem*. admissio enim semel eo principio „licere sequi „opinionem vere probabilem“ facile quis concludet; atqui sententia cuiusdam viri gravis et docti, etsi iunioris et moderni est utique vere probabilis, nixaque fundamentis theologicis, ergo licet eam sequi. Altera est ab eodem Alexandro damnata: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. quis enim dubitet, eam sententiam esse vere ac theologicè probabilem, quam tot saeculorum lapsu nemine contradicente integrae Nationes christianae impune tenebant, et in praxin ducebant, quamque tot Viri graves atque docti ex professo defenderant? et tamen inter damnatas legitur. Sic et ista propositio inter*

inter damnatas ab Innocentio XI. anno 1679. num. 2da: *Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem*; ante damnationem fuit licita, quia sequebatur ex illo generali principio, quo totus Probabilissimus comprehenditur; nunc autem non amplius est licita, etsi nulla syllaba, nulla illius littera sit mutata; si ergo antea ut genuina probabilissimi filia agnoscebatur, cur non et modo? similiter illa propositio num. 27ma ab eodem Pontifice damnata: *causa iusta utendi amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa*; naturam suam per anathema Pontificium non mutavit, sed mansit ut ante fuit; si ergo ante damnationem fuit vere ac theologice probabilis, cur post illam non amplius? ergone summa Sedes etiam tales propositiones erroris nota configere solet, quae sunt *vere ac theologice probabiles*? faxint Superi, ne saltem reliquiae ingenui probabilissimi successu temporis et ipsae sua spolientur probabilitate.

CAPUT II.

De utriusque Patris auctoritate.

§. XIX. Praesenti capite §. I. ingenuus Author omnibus viribus ostendere nititur, nec solos nec omnes S. I. Theologos esse, qui Probabilissimum in orbem invexerant, aut propagarant; im-
 primis

An soli et omnes le-
 suitae sint
 Probabili-
 stae?

primis enim narrat „ Societatem apud Innocentium
 „ XI. aduersatam, quod Probabilismum sibi proprium,
 „ et quasi characteristicum fecerit, publice declaraf-
 „ se tantum abesse, ut doctrinam istam sibi propriam
 „ existimet Societas, ut potius plena suis Theologis
 „ libertas concessa sit, contrariam quoque sententiam
 „ amplectendi, aliarumque scholarum, atque Docto-
 „ rum catholicorum placita sequendi; caetera para-
 „ tos se esse, ut, quamprimum certi quidpiam hoc in
 „ negotio S. Sedes decideret, in eiusdem verba iu-
 „ raret. “ deinde varios e S. I. Theologos nominat,
 qui contra probabilismum scripserunt, nempe *An-*
tonium Celladeum natione Hispanum, *Ignatium de*
Camargo Doctorem Salmanticensem, *Paulum Comi-*
tolum natione Italum, *Andream Blancum* sub nomi-
 ne candidi Philalethi latentem, *Ioan. Bapt. Tabernam*
 natione Belgam, *Thomam Munieffam* Hispanum,
Thyrsum Gonzalez S. I. Praepositum generalem, *Ca-*
sparum Kummet, Theol. Doctorem Moguntiae, *Paul-*
um Gabrielem Antoine Universitatis Mussipontanae
 Cancellarium, *Christophorum Rafsler*, et *Antonium*
Mayr, Professores Ingolstadienses. Ingenue tamen fa-
 tetur, longe plures (quid enim 10. vel 11. ad plu-
 res reliquorum e S. I. Theologorum centurias?) ef-
 se, qui probabilismum defendunt, et in benignista-
 rum castris promerentur stipendia, ita tamen, ut
 ab omnibus Laxissimi exorbitantiis, cunctisque Doc-
 trinae naevis prorsus sint innocui et immunes.

Respon-
 detur sub
 limitatione.

§. XX. Ad haec respondemus, Probabilismum,
 etsi per aliquod speciale Societatis statutum ut So-
 cius Characteristicus fors nunquam sit promulgatus,
 ita tamen eidem et in eadem communiter receptum
 esse, ut pauci illi, quos enumerat Author, in com-
 para-



paratione tam stupendi numeri Theologorum e S. I. qui ultra duo iamiam saecula in plus quam 48 Universitatibus et Academiis (exceptis Lycaeis, Gymnasiis et Studiis domesticis) Moralem Theologiam verbo, scriptove tradiderunt, quique omnes, quis enim numerabit? sub signis Probabilismi pugnarunt, vix ac ne vix quidem in considerationem veniant. quae cum ita sint, haud satis mirari possumus, cur Author noster tantopere studeat, probabilissimum, tanquam notam Societatis Charactericam a se amovere? cur integras aliorum ordinum, scholarum, atque Doctorum extraneorum phalanges enumeret, qui benigniorem sectabantur sententiam, ut eam non soli Societati esse propriam ostendat? si Probabilis doctrinae indoles, prout habetur in praefatione, adeo *vivax et libero homine digna*, si adeo *innocua*, atque *ab omni fraude et furo aliena* est, cur tanquam suam, et suae Societati propriam non agnoscit, et quidem hac ipsa occasione, ubi eam ex professo contra Praesentatum propugnat? Scientiae mediae inventionem ac possessionem, quamquam ab extraneis etiam Theologis defensa fuerit, sibi nullatenus eripi sinunt Molinae Socii; an ergo deterioris erit conditionis Probabilissimus?

§. XXI. Quod adtinet Probabilismi originem, Probabilissimus nec ab originis antiquitate, primumque illius inventorem, nostra non interest, num Primatus Bartholomaeo Medinae, an Dominico Soto, an Dominicanis, an Molinianis competat, nemini certe honorem hunc invidemus; id nihilominus est expeditum, Probabilismi antiquitatem ultra ducentos incirca annos nullatenus ascendere, illoque potissimum tempore in lucem prodiiisse, quo rarus admodum severiorum disciplinarum cultus ingenio-

fae subtilitatum scholasticarum exercitationi, quo locorum Theologorum, et sacrae antiquitatis neglectus novitatibus opinionum, et scholarum dissidiis, quo denique morum corruptela, vivendique licentia Sacerdoti et populo vix non communis, opinandi quoque, sentiendique libertati uberiores campum aperuit; nec veritatis, pietatisque fucus defuit, ubi probabilissimus in orbem natus Viros et pietate, et doctrina spectabiles (homines tamen) suae causae Patronos nanciscebatur, quorum nomina tunc temporis pluris, quam Scripturae, quam Conciliorum, quam Patrum dogmata aestimabantur, imo in scholis frequentius, quam Augustini, Basilii, Chrysostomi, Gregorii, vel Hieronymi audiebantur; prout, quemadmodum ex illorum historia, ita praepriis ex pretiosissimo illo Episcopi Chiemensis cuiusdam tractatu, *Onus Ecclesiae*, intitulo, ad oculum patet.

nec a defensorum pluralitate

§. XXII. Quemadmodum autem e Probabilissimi *antiquitate* non multum commendatur eiusdem autoritas, ita etiam e Probabilistarum *pluralitate* neutiquam solidatur eiusdem veritas; testatur equidem Thyrsus Gonzalez S. I. Generalis, primos iam tum S. I. Theologos probabilissimi doctrinam fortiter propugnasse; an autem istud ad mentem S. P. Ignatii factum fuerit, qui non *magnam* tantum, sed *maiores* Dei gloriam ubique quaesivit? ipse viderit; saltem constat, etiam in materia speculativa primos S. I. Theologos a S. sui Patris instituto recessisse, dum ille S. Thomae Aquinatis doctrinam suis commendaverat, isti autem novam Ludovici Molinae opinionem obposuere, prout ex Theorem. nostro *imo* patet. Neque maius, ut opinamur, Probabilissimo

lismo robur accedit e testimonio *Stephani Spinula* Congregat. Somaſch. Praefat. in opusc. de Prudent. et lib. elect. quo ait, benigniorem doctrinam **RECENTIORUM OMNIUM** calculo, et *universali fere populorum usu confirmatam esse*; nec non etiam e testimonio *Ioan. Gabrielis Boyvin* Minoritae in Theol. Quadripart. P. 3. disp. 3. cap. 1. q. 5. quando Probabilissimum a *sanctissimis etiam, et eruditissimis Doctoribus* teneri adfirmat; neque e testimonio *Ioan. Ang. Bossii* Clerici regularis, Tom. Moral. varior. in adpendice ad Tit. 1. cum dicit, *nihil magis decantatum esse, quam Probabilissimum, cumque AB OMNIBUS, et in toto orbe christiano doceri*; neque e testimonio *P. Raggit* Ord. Capucin. qui in Cent. 1. de Regim. Reg. P. 2. dub. 46. Probabilissimum ab **INFINITIS** tradi *Authoribus* adserit; neque tandem e testimonio *Mastrii*, magni illius inter Scotistas oraculi, dum Disp. 5. q. 2. art. 1. scribit, *hanc esse COMMUNISSIMAM et receptissimam sententiam in OMNI SCHOLA in hoc currenti saeculo*; nam respondemus, ex his omnibus nihil aliud evinci, quam benigniorem, et humanae indoli faventem doctrinam Recentioribus, populorum ufui, et elapso saeculo communissimam, utpote adcommodatissimam, fuisse; item, Probabilissimum ab infinitis, et quibusdam Sanctissimis (num etiam ab Ecclesia canonizatis?) eruditissimisque pro eo videlicet saeculo viris propugnatum fuisse; Sed quid hoc *Vir eximie*? ficcine *gemmae Ecclesiae doctrina* non iam ex Apostolica traditionis antiquitate? non iam e Conciliorum Canonibus pro morum disciplina conditis? non iam e SS. Patrum exhortationibus? non iam e pusilli gregis *Dominici*, aut piorum Christianorum exemplis, qui

ad aemulanda Charismata meliora sese vi christiani nominis credebant esse obstrictos? Sed e nova Recentiorum schola, e communi populorum communiter utique pro more illius saeculi viventium usu et praxi, neque tam ex Authorum sanctitate, quam copia derivari debet? o bone Deus, quot retorsionibus, quotque periculosis sequelis argumentum Authoris nostri esset obnoxium!

sese reddit
commendabilem.

§. XXIII. Pergit ulterius §. 2. Author ingenuus integrum Probabilistarum e schola Thomistica texere catalogum, tum, ut propositionum damnatarum e Probabilismo natarum infamiam a sua Societate amoliat, tum etiam, ut suo Probabilismo maiorem conciliet authoritatem; in specie autem nominat Bartholomaeum Medinam, Didacum Alvarez, Petrum Ledesma, Dominicum Bannez, Gregorium Martinez, Vincentium Candidum, Ildephonsum Baptistam, Ioannem Niderum, S. Antoninum, imo et Albertum M. Sed sua sit cuivis authoritas, nostraeque cuivis debita veneratio; interea vero existimamus, neque hos, neque infinitos alios recentioris doctrinae Authores ad eum usque authoritatis apicem ascendere, qualem iam ex antiquo SS. Ignatius M. Polycarpus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, ambo Gregorii Nyss. et Naz. Athanasius, Basilus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M. Leo etc. sibi suaeque doctrinae, nonnisi ab Apostolorum temporibus haustae in universali Ecclesia promeruerunt.

Digressio
de quodam
P. Pery.

§. XXIV. Dum hoc ipso in §. 2. apud Authorem legimus quendam P. PERY O, S. B. Doctorem Salisburgensem, id equidem nec Praesentato, nec

nec Authori nostro ingenuo, utpote sine sua culpa deceptis, vitio vertimus, quin facile subponimus, nec illi, nec isti historiam Universitatis Salisburgensis anno 1723. Typis San-Blasianis in lucem datam ad manus fuisse; pro veritatis tamen certa notitia Lectorem benevolum hisce monere volumus, nullum ab Universitatis nostrae origine usque ad praesens tempus Theologiae Doctorem extitisse, cui nomen PERY; Extitit equidem ante aliquot annos quidam Theologiae Professor Domesticus in S. Lamberti Monasterio Styriae Superioris, qui tractatum quendam Theologicum edidit, hoc nomine insignitus; at vero is nec gradum Doctoratus, quantum novimus, alicubi accepit, nec publicam in Universitate nostra Cathedram habuit, nec proinde Doctor Salisburgensis, sed Styrius, aut San-Lambertinus dicendus erit.

§. XXV. Ad quaestionem illam, quam ^{Responde-} Author ingenuus ad calcem huius §. 2. hisce verbis ^{tur ad ca-} proponit „Quid, si concurrant duae opiniones, ^{sum, si una} quarum una ex motivo intrinseco videatur proba- ^{sententia} bilior, altera vero ex motivo intrinseco minus pro- ^{fit intrinse-} babilis, ita tamen, ut pro hac autoritas adventi- ^{ce, altera} tia multo maior stet, quam pro priori, uti non ^{vero ex-} raro contingit? an tunc utraque erit probabilior, ^{trinsece} et moraliter certa? illa propter motivum intrinse- ^{probabilior.} cum, ista propter extrinsecum? quid tunc lice- bit agere? “ Respondemus iuxta ea, quae supra §. 4. diximus, sub distinctione: si ambae opiniones ex motivis intrinsecis aequaliter sint probabiles, dubium non est, quin illa debeat praeponderare, cui ex autoritate adventitia et externa novum pondus accedit; si vero, ut casus iacet, una sit ex motivis

internis probabilis quidem, habens tamen authoritatem externam; altera vero, licet authoritatem quandam externam non habeat, ex motivis solum internis sit probabilior; tunc dicimus attendendum esse tum ad obiectum, circa quod opiniones istae versantur, tum ad authoritatem ipsam externam, tum etiam ad subiecti conditionem; si *obiectum* sit in *linea naturali*, adeoque etiam sine authoritate aliena cognoscibile, tenendum est dictamen opinionis intrinsece probabilioris, dummodo ratio ipsa ita sit comparata, ut ipsius iudicium non ex quadam ignorantia, vel sinistra prodeat adfectione; quod si autem obiectum sit in *linea supernaturali*, et ad religionem revelatam pertineat, minus utique proprio rationis dictamini, quam authoritati credendum est, dummodo haec e principiis theologicis sit deducta, sicque illi opinioni assentire debemus, ubi sacra traditionis, Conciliorum, et Patrum autoritas prae humana ratione praeponderat; unde simul colligitur, qualem oporteat esse *authoritatem*, quae opinionem intrinsece minus probabilem, alteri intrinsece probabiliori praeponat, magisque tenendam iubeat; nempe *non humana*, Recentiorum quorumvis, utcunque celebrium Authorum, sed *vere theologica* ex locis theologicis derivata; *subiectum* denique ipsum quod adtinet, aliter de viro litterato, aliterque de homine illitterato et indocto est sentiendum; ille procul dubio, ut prudenter agat, regulas paulo ante circa obiectum et authoritatem datas tenebitur observare, iste vero aut consilium petere, aut id, quod ipsi hic et nunc probabilius videtur, agere debebit; ita, ut semper id, quod probabilius est, fiat; multum igitur distamus ab illis, qui opinionem intrinsece minus



minus probabilem *ex quavis autoritate*, etiam Probabilistarum recentiorum, contra locorum theologorum autoritatem putant fieri probabiliorem, et magis tenendam.

§. XXVI. Pariter subsequens Authoris argumentum, quod ita sonat: „sententia, quae docet, ^{uti etiam ad argu-}
„licitum esse, sequi opinionem minus, vere tamen ^{mentum ex}
„probabilem relicta probabiliori, est ex motivo ^{authoritate}
„trinfeco, seu adventitia autoritate probabilior, et ^{desumptum.}
„moraliter certa, atqui iuxta ipsos adversarios tenemur sequi opinionem probabiliorem et moraliter certam, ergo tenemur sequi sententiam Probabilistarum.“ ita resolvimus, ut imprimis negemus subpositum maioris, quod sententia intrinsece minus probabilis *ex* adventitia quacunque autoritate fiat probabilior; deinde negamus maiorem absolute, fluentemque inde consequentiam; nam opinio intrinsece probabilis non ex Probabilistarum, sed SS. Patrum autoritate debet fieri probabilior, *ex* quibus certe Probabilistae nullum habent suffragium, sed potius nocumentum.

§. XXVII. In appendice, seu §. 3. de *Tutorismo*, quem quidem hic loci non volumus defendere, Author noster, velit, nolit, publice manifestat, Molinismum ac Probabilismum ex eodem fonte procedere; quemadmodum enim Ludovicus Molina totum systema suum in voluntatis humanae libertate constituit, ita et Author noster pro sui Probabilismi fundamento eiusdem voluntatis humanae constituit libertatem; sed qualem illam? audiamus Molinam ipsum Q. 14. art. 13. disp. 3. sic statuentem: *vires naturales* (voluntatis nempe humanae post

Cum idem sit fons Molinismi, et Probabilismi,

post peccatum originale) tales secundum se manserunt, quales illas essemus habituri, si in puris naturalibus ad finem tantum naturalem a principio conditi fuisset; nam peccatum primi Parentis solum in gratuitis nobis nocuit, et ob id naturalia in nobis et in Angelis post peccatum integra remanserunt, qualia essent suapte natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecta. Hanc ipsam Ludovici Molinae doctrinam veluti certam et inconcussam praesupponit Author ingenuus, dum suae doctrinae principium esse pag. 159. dicit, „libertatem esse in possessione, „quando lex est dubia, nec satis nota vel promulgata, quemadmodum contingit, ubi occurrunt duae „sententiae aequae probabiles, quodque principium „desumunt ex illa iuris regula: *in pari causa melior est conditio possidentis*; atque ita, quum par „sit causa in praesenti negotio, et legis contra libertatem, et libertatis contra legem pugnantis, libertatem e possessione sua deturbari non posse.“ ex quibus videmus, utrumque Authorem eo collimare, ut eandem humanae voluntatis integritatem, sanitatemque tueantur, quam ante peccatum illa habuit, eademque proinde privilegia, favores et prerogativas illi competere, quibus illa in statu naturae purae gavisa fuisset; hinc enim et liberam eiusdem determinationem decreto Dei praedestinantis praemittunt; hinc etiam plus eiusdem possessioni, quam legum obligationi favent; hinc denique tam Molinismus, quam Probabilismus veluti duo fratres uterini suam trahunt originem.

utrumque
partum una
cum fonte
relicimus
ex auctori-

§. XXVIII. Sed quid ad haec S. AUGUSTINUS, qui totus in eo est, ut contra Pelagium ex principiis revelatis ostenderet, hominem per peccatum

tum non modo gratuitis et supernaturalibus donis^{tate S. Au-}
 spoliatum, verum etiam in naturalibus, ac in specie^{gustini,}
 quidem in suae voluntatis viribus lauciatum fuisse?
 qui gratiae ab intrinseco efficacis necessitatem contra
 Pelagianos ex eo principaliter argumento (a Patri-
 bus utique accepto, non arbitrarie conficto) pro-
 bare solet, quod voluntas per peccatum infirmata
 propriis suis viribus haud amplius possit, quod an-
 tea potuit; quod liberum arbitrium Adamo peccan-
 te non quidem sublatum, ipsius tamen aequilibrium
 ita fuerit inclinatum, ut voluntas sibi soli relicta
 magis iam ad malum, quam ad bonum propendeat?
 prout ex omnibus eius operibus, omnibusque fere
 suorum operum paginis tam certo constat, ut su-
 perfluum foret, integros eiusdem textus exscribere,
 praesertim cum non Idiotis, sed Sapientibus loqua-
 mur, quibus Augustinus non est peregrinus;
 legant, quaesumus eiusdem *lib. de Grat. Christi cap.*
25. 27. 28. 50. etc. Ep. ad Sixtum Presbyt. cap. 6.
ac 10. De grat. et lib. arbit. cap. 4. item de Corrept.
et grat. cap. 1. 8. 11. 12. Ep. ad Vital. cap. 3. prae-
terea lib. de Praedest. SS. cap. 5. 6. 8. de dono Per-
sever. cap. 7. 11. 12. et Enchirid. cap. 10. 12. et ali-
 bi saepissime docentem Augustinum, quam imbellis,
 quam infirma sit in ordine ad donum supernaturale
 voluntas hominis peccato vitiata; quam necessarium
 proinde Omnipotentis auxilium, quo fit, ut resur-
 gat homo a mortuis, et illuminetur a Christo, quod-
 que nobis et velle, et perficere gratuito confert;
 quam vana sint illorum effugia, qui per gratiam il-
 lam ab intrinseco efficacem pessumdari credunt ho-
 minis libertatem, cum tamen haec per illam potius
 adiuvetur et perficiatur. Nam citato *lib. de Corrept.*
 et

et Grat. cap. 8. diferte inquit: *ecce, quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis; voluntas quippe humana NON LIBERTATE CONSEQUITUR GRATIAM, SED GRATIA POTIUS LIBERTATEM.*

et conciliorum,

§. XXIX. Quid ad haec SS. Ecclesiae Concilia? ubi tantum abest, voluntatem humanam agnoscere tanquam viribus pristinis adhuc vigentem et integram, ut potius miserum eiusdem statum ubique soleant deplorare; ita Synodus MILEVITANA II. can. 4. anathema illi dicit, *quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per I. C. D. N. propter hoc nos tantum adiuvere ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid adpetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, et valeamus.* ex quibus infertur, voluntatem humanam ita esse infirmam, ut sola legis revelatione, aut Evangelii praedicatione non possit adiuvari ad credendum, et ad id, quod crediderit, agendum, nisi fortiori quodam auxilio corroboretur; ubi ergo sanitas et integritas illa voluntatis humanae a Molinianis tantopere iactata? nunquid in possessione potius suae infirmitatis, quam libertatis a Probabilistis defendi debet? sic etiam eiusdem Synodi Canon. 5. dum statuit: *quicumque dixerit, gratiam dari, ut, quod facere per liberum arbitrium iubemur, facilius possimus implere per gratiam, tanquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen (absolute) possimus sine illa implere divina mandata, anathema sit.* si ergo gratia non tantum ad facilius agendum, sed praecise ad agendum est necessaria, plane consequitur,

sequitur, adeo magnas voluntatis vires non amplius
esse, qualem Moliniani et Probabilistae deprædicant.
sic et Africana illa Concilia (de quibus S. Augu-
stinus ep. 106. ad Paulinum, et lib. 1. contra Iulia-
num cap. 4.) postquam sua in Pelagium iacta ana-
themata Innocentio I. transmisissent, in responsis ac-
ceperant: *quotidiana Christus præstat remedia, qui-
bus nisi freti confisque utamur, nullatenus humanos
vincere poterimus errores; necesse est enim, ut, quo
auxiliante vincimus, iterum non adiuvante vincamur.*
addit S. Augustinus loco posterius citato: *quid po-
tuit vir ille Sanctus Africanis respondere conciliis
(anno 412. et 416. celebratis) nisi quod antiquitus
Apostolica Sedes, et Romana cum cæteris tenet perse-
veranter Ecclesia? huic responde, imo ipsi Domino,
cuius ille Antistes usus est testimonio. ad quid autem
quotidiana remedia tam necessaria, ut vincamus, si
sana et vegeta sit adhucdum voluntas nostra? si tot
probabilistarum cohortibus stipata, tam secunda sit in
sua libertatis possessione?*

§. XXX. Quid, si et Concilii ARAUSICA- Arausici
NI II. Canones contra Massiliensium doctrinam edi- præp. imis,
tos consideremus? dum can. 3. infit. *si quis ad in-
vocationem humanam, id est, naturæ viribus fretam,
gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam
gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit
Isaiae Prophetæ, et Apostolo. dum can. 4. declarat:
si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram
Deum expectare contendit, non autem, ut etiam pur-
gari velimus, per Spiritus S. infusionem et operatio-
nem in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui S. dicen-
ti, præparatur voluntas a Domino. dum can. 5. sta-
tuit: si quis sicut augmentum, ita etiam initium fi-
dei,*

dei, ipsiusque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, - - - non per gratiae donum, - - - voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius comprobatur. dum can. 7. docet: si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere - - - posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus S. - - - haeretico fallitur Spiritu. dum ulterius can. 9. 10. 14. et 18. idipsum Augustinianae doctrinae systema uberius explicat, et adprobando proponit; quid exinde consequitur, nisi tenues admodum, et humi, ut ita dicam, repentes esse voluntatis humanae vires, easque per peccatum adeo esse debilitatas, ut ne Deum quidem pro danda gratia invocare, nec peccatorum remissionem desiderare, neque primum credulitatis affectum elicere, multo minus quidquam aliud, quod ad salutem pertinet, sibi soli relictum, suisque naturae viribus efficere valeat; et nihilominus haec misera creatura apud Molinam integra, apud Probabilistas vero suae libertatis Dominica compellatur.

ac novissime
Tridentini.

§. XXXI. Audiamus et Concilium TRIDENTINUM, quid in Spiritu S. congregatum de voluntatis et liberi arbitrii viribus, potentia, et iuribus post peccatum originale sentiat; docet autem Sess. 6. cap. 5. *Ipsius iustificationis exordium in adultis a Deo per CHRISTUM IESUM praeveniente gratia sumendum esse, - - - ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem et adiuvantem gratiam ad convertendum se - - - disponantur; ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem neque hoc*

mo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, - - neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. hinc ulterius eadem Sess. cap. 6. pergit de adultis: disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes etc. deinde vero notandum, S. Synodum iam antea, nempe Sess. 5. can. 1. de peccato originali, eiusdemque deplorandis effectibus definiisse: *si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, - - totumque Adam (voluntate nullatenus excepta) per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.* qua igitur ratione cum Ecclesia sentit, qui naturales voluntatis humanae vires etiam post peccatum adhuc integras permanfisse defendit? dum Ecclesia totum hominem quoad corpus et animam in deterius commutatum declarat; qua ratione probabilis erit illorum opinio, qui voluntati humanae tanto cum strepitu libertatis possessionem adiudicant? dum interim Ecclesia nihil illam sine gratia divina posse pronuntiat; qua demum ratione genuinam Ecclesiae doctrinam profiteantur? qui stante inter libertatis possessionem, et legis obligationem dubio, maiorem pro caligante intellectu, pro vitiata voluntate, proque sauciata libertate, quam pro sanctissimis ac aeternis legibus stare putant praesumptionem; quasi vero ea Iuris profani regula: *in dubio melior est conditio possidentis*, de gleba terrestri loquens, etiam ad vitam caelestem applicari possit ac debeat; dum

ibi de bono temporaneo, hic de perpetuo dispute-
tur; ut ergo cum Probabilistis et Molinianis benig-
nius agamus, quam ipsi nobiscum, iisdem in Para-
diso, si eundem alicubi reperiant, atque in statu
naturae integrae Hospitium assignamus, nam in statu
naturae lapsae non est locus in diversorio.

Illa iuris
regula me-
lior est con-
ditio possi-
dentis, hec
non valet,

§. XXXII. Unde Praesentatus apud Autho-
rem nostrum pag. 159. recte argumentatur, praefa-
tam iuris regulam in materia quidem iustitiae, non
autem in materia virtutum aliarum procedere; in-
feliciter autem respondet Author, cum ait „ in ma-
„ teria aliarum quoque virtutum possessio in dubio
„ legis favebit libero hominis arbitrio, tanquam pos-
„ sessori suae libertatis, in quantum facit praesump-
„ tionem *veritatis*, videlicet, quod liberum arbitrium
„ sit verus suae libertatis Dominus, donec ipsi pro-
„ betur satis clare, legem existere, ac proxime ob-
„ ligare; cum ipsum in tot opinionum conflictu
„ probare possit, se non obstringi legibus, quae non
„ sufficienter notae, ac promulgatae sibi sunt, atque
„ ita ignorantia illarum laboret, quam nec ratione,
„ nec autoritate potest vincere, cum ponantur
„ duae quaedam sententiae in utramque partem ae-
„ que probabiles “ nam imprimis respondemus, fal-
sissimum esse subpositum illud Probabilistarum, vo-
luntatem humanam post peccatum originale ita esse
comparatam, ut prudens et iusta praesumptio pro
illa stare valeat; nam si vera sit in suo sensu illa S.
Iacobi sententia cap. 2. *qui offendit in uno, factus
est omnium reus*; quoties o bone Deus rea erit vo-
luntas nostra; quae non tantum in uno, eoque pri-
mo homine gravissime fefellit, sed et nos quotidie
decipere solet! dum econtra lex Domini nec falli
nec



nec fallere, nec mutari possit nec abrogari; cuinam ergo magis fidendum? quaenam in sua possessione firmitior, securiorque? cuinam potius, voluntati, an legi praesumptio favere debet? unde facile patet, quaenam et quam lata inter materiam iustitiae, ac aliarum virtutum disparitas intercedat; in materia iustitiae valere illam Iuris regulam: *in dubio melior est conditio possidentis*, facile concedimus, quia ex publica iuris civilis praesumptione possessor quietus censetur esse Dominus rei possessae; at vero directe contrarium habetur in iure divino; ex hoc enim constat, Deum esse quemadmodum rerum omnium, ita et voluntatis humanae Dominum et possessorem, qui voluntatum quocunque velit inclinandarum absolutissimam habet potentiam, qui rebelles etiam nostras ad se compellere voluntates potest, et cuius aeternis legibus subiecta est omnis creatura; nihil ergo iuris penes voluntatem humanam per peccatum iam captivatam, in ordine ad bonum aliquod supernaturale, nisi quantum ipsi gratuito concesserit cordium Dominus; proindeque in praxi Christiana et Morali catholica maior erit praesumptio pro illa iuris divini regula: *aemulamini charismata meliora, quam pro illa iuris humani: in dubio melior est conditio possidentis.*

§. XXXIII. Sed et alterum Authoris nostri neque dinegamus suppositum, quo putat, aliud esse, possessionem *licentiae*, et iterum aliud, possessionem *veritatis*; illam voluntati competere ait, non istam in hac materia, quippe ad hoc (sunt ipsius formalia „ pag. 161.) ut licite quis agat, non requiritur iudicium de veritate opinionis, sed iudicium, sed „ dictamen practicum et ultimum de licentia actionis „ nis

neque distinctio inter possessionem licentiae, et veritatis,

„nis secundum hanc vel illam opinionem, et in his
 „vel illis circumstantiis.“ quae si se ita habeant,
 cur ergo eximius Vir in sua probabilissimi defensione
 illam conditionem adponit: *si tamen sit vere probabi-*
lis? ergo utique ad hoc, ut sequi valeam opinio-
 nem vere probabilem, de veritate probabilitatis mi-
 hi constare debet? ergo prius cognoscere debeo am-
 plectendae opinionis *veritatem*, antequam prudenter
 mihi arrogem eiusdem amplectendae *licentiam*? quo-
 modo igitur ratio veritatis a ratione licentiae dividi
 possint ab invicem? non videmus.

uti proba-
 tur ex pa-
 ritate inter
 dogmata fi-
 dei, et mo-
 rum,

§. XXXIV. Praeterea vero, eiusdem rationis
 esse *Dogmata fidei* et *Dogmata morum*, non nega-
 bunt Probabilistae; nam utraque sunt a Deo pro-
 mulgata et stabilita, utraque sunt iudicio, custo-
 diae, ac interpretationi Ecclesiasticae commissa,
 utraque ita pertinent ad substantiam religionis, ut
 non minus, qui dogma quoddam morale, quam qui
 dogma fidei pertinaciter negaverit, extra Ecclesiam
 constituatur; ulterius et hoc negari a nemine po-
 terit, sicut multa fidei dogmata, ita et plura mo-
 rum dogmata per viam traditionis divinae ad nos us-
 que propagata fuisse, adeoque pari *praescriptionis*
 titulo in sua fundari possessione; iuxta illud TER-
 TULLIANI de praescription. cap. 31. *ex ipso ordi-*
ne manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod
sit prius traditum, id autem extraneum, et falsum,
quod sit posterius inmissum. quod idem argumentan-
 di genus a S. AUGUSTINO, et VINCENTIO LI-
 RINENSI in Commonitor. frequenter adhibitum
 fuisse, nemo non novit; at ne hoc quis Catholica-
 rum in dubium vertet, totam hanc de Probabilismo
 controversiam non utique ad dogma fidei, sed ad
 dogma

dogma morum spectare; unde contra Probabilistas tale formari potest ratiocinium: illud moderno tempore fieri non potest licitum; quod per plus quam quindecim Ecclesiae saecula nunquam erat licitum; atqui, sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori per plus quam quindecim Ecclesiae saecula nunquam erat licitum; ergo nec moderno tempore illam sequi licebit. Maior ex ante dictis est certa, quia nec Ecclesiae, multoque minus privatis Doctoribus ea fuit a Christo potestas data, ut successu temporum nova procudant vel morum, vel fidei dogmata; unde illa propositio: *Puto: omnia esse hodie melius examinata, et hanc ob rem in omni materia, ac praecipue in morali, libentius iuniores, quam antiquiores lego, et sequor; doctrina fidei a veteribus, doctrina morum a iunioribus magis petenda est.* iure meritissimo a Clero Gallicano tanquam *temeraria, scandalosa, et erronea* fuit condemnata. Minor autem probatur I. ex ipsorum Probabilistarum confessione, qui per duo iamiam saecula desuper interrogati, et provocati, ne unum quidem sat idoneum ex traditione Divina vel Apostolica, e Conciliis, aut SS. Patribus pro sua causa hucusque proferre testimonium poterant, imo potius cum Authore nostro fatentur, hanc Probabilismi doctrinam a duobus primis saeculis orbi christiano innotuisse; accedit, Probabilistas ipsos apud P. AMICUM fateri, doctrinam suam ab omnibus fere Theologis antiquioribus negatam fuisse, ac propterea CARAMUELEM recte fidelibus christianis (exceptis Mechliniensibus, ubi ex decreto Archiepiscopi omnes Caramuelis libri ostracismo notati fuerant) congratulatum fuisse, quod *introducitis benignis opinionibus multa hodieum liceant,*

ceant, quae olim in Ecclesia non licebant, nuncque planior sit, et facilior ad salutem via, quam antiquis temporibus. consequentia est in forma.

et ex Bul-
la S. P. Ale-
xandri VII.

§. XXXV. Argumento praescriptionis adiungimus alterum ex Decreto S. P. ALEXANDRI VII. anno 1665. emanato deductum, ubi varias, et quidem numero 28 propositiones non iam probabiliter, sed probabilius ex Probabilismo, fonte illo ingenuo, natas condemnat; ibi: *Sanctissimus Dominus noster non sine magno animi sui maerore audivit, complures opiniones christianae Doctrinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum resuscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, et quem, si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianae viae corruptela; Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cuius verba in aeternum permanent, arctam esse desinit, in animarum perniciem dilatari, seu verius, perverti contingeret; idem sanctissimus D. noster, ut oves sibi creditas ab eiusmodi speciosa lataque, per quam itur ad perditionem, pro pastoralis sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen etc.*

ubi varia
occurrunt
notanda.

§. XXXVI. Ad haec Pontificis verba sequentes animadversiones facere iuvat, una est: nusquam in veteris Ecclesiae historia legitur, tam ingentem laxissimarum opinionum nubem, ciniphum instar Aegyptiacarum, propullulasse, nisi ab eo tempore,
quo

quo Probabilissimus in orbem prodiit; et etiamsi Probabilistae reponant, eas non tam e probabilismo ipso, quam ex mala illius adplicatione prognatas fuisse (quod, qui credere vult, credat) id nihilominus admittere coguntur, Probabilissimum antiquitate non plus praecedere opiniones illas damnatas, quam Pater suos liberos antecedit, nempe illum antiquis Ecclesiae temporibus ignotum, suamet sese novitate suspectum fecisse. *2da est*: per luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excrecentem ab Alexandro VII. non potest intelligi doctrina Theologorum saeculo 16to antiquiorum, tum quod nulla de huiusmodi doctrinis memoria in tabulis Ecclesiasticis habeatur; tum etiam, quod, si Probabilissimus anterioribus iamiam saeculis fuisset notus, spectata hominum fragilitate, ac naturae nostrae in deterius propensione, plane foret imperceptibile, cur non iam dudum huiusmodi benignior doctrina in licentiosas opiniones, et sententiarum laxitates degenerarit? cum tamen altum de his ante annum circiter 1577. ubique sit silentium; ergo procul dubio tunc summa illa luxuriantium ingeniorum licentia indies magis caepit excrecere, ubi orbis pene universus (si pusillum tunc temporis Domini gregem excipias) admirabundus ingemuit, sese esse Probabilistam. *3tia est*: de duabus impraesentiarum sententiis controversatur, nempe Probabilioristarum, quam Probabilistae vocant durior, arctiorem, ac difficiliorem, et Probabilistarum, quam ipsi laudant ut benigniorem, planiorem, et faciliorem; iam liceat interrogare, per qualem ex his duabus via salutis, quam Christus arctam esse definiit, in animarum perniciem dilatetur, aut verius, pervertatur? an per sententiam

probabiliorem? at vero contra hanc manibus, pedibusque obstreperunt Probabilistae, dicuntque, per illam tantum abest, viam salutis dilatari, ut potius coarctetur, atque angustior efficiatur; an ergo per sententiam probabilem? saltem haec tantum libertati, quantum illa veritati favet, ipsique Probabilioristae honorem illum Probabilistis facile concedunt, ipsorum doctrinam, uti benigniorem, ita et indoli ambulantium esse adcommodatiorem.

Nullius
roboris sunt
Authoris
ingenui re-
sponiones
ad argu-
mentum e
Scriptura
desump-
tum,

§. XXXVII. Respondet equidem Probabilista noster ingenuus ad argumentum e Math. 7. ductum, ubi *arcta via, et angusta porta* dicitur, *quae ducit ad vitam*; sed ita respondet, ut quidvis potius aliud agere videatur, quam textum obiectum in forma resolvere; nunc enim contra Montaltium, VVendrochium, aliosque Iansenistas (quos inter forsan et Probabilioristas se videre imaginatur) exurgit; nunc vel invitus admittit, Probabiliorismum inter Tutiorismum et Probabilismum via media intercedere, quia concedit, per illum salutis viam nec arctiorem, nec latiore fieri; nunc novorum et recentiorum Casuistarum Nomen velut invisum a suae Societatis Theologis amoliri nititur; nunc Probabilismum ipsum in tenuem et vere talem distinguit, licet paulo antea, ut vidimus, curam potius libertatis, quam veritatis haberi velit, ut nempe tela in probabilismum iacta effugiat; nunc negat, ex Probabilismo vero sequi propositiones damnatas, utpote quae potius Probabilismo tenui et vago sint adscribendae; at nihilominus immediate subiungit „certe non sequitur, „quod illi, qui propositiones aliquas defenderunt „damnatas, vagum ac noxium probabilismum de- „fenderint, sed eo tempore, quo scripserunt, erant „alio-

„ aliorum autoritate munitae ipsorum sententiae, et
 „ videbantur illis tunc temporis opiniones vere pro-
 „ babiles ; post damnationem vero ista autoritas, et
 „ vera in speciem probabilitas omnino sublata fuit. “
 adeoque sententiae damnatae non minus Probabilismi
 veri, quam vagi et noxii esse progenies possunt ;
 haec nempe singularis Probabilismi praerogativa, haec
 ingenua eiusdem indoles, quod eadem sit veritatis,
 quam falsitatis probabilitas, quod nonnisi tamdiu
 sit probabilis, quamdiu non damnatur ut improba-
 bilis ; nunc adversarium admonet, ne privatorum
 quorundam Theologorum lapsus integris imputet
 communitatibus ; nunc defendit, etiam stante Pro-
 babilismo et benigniori doctrina, nihilominus satis
 adhuc arctam et angustam esse salutis viam ; ac tan-
 dem pag. 168. concludit „ quod si nihilominus haec
 „ probabilismi via latissima et planissima adversario
 „ huic videatur, sciat, nos in ea duces sequi, ut
 „ nil de aliis dicam, praecipuos, maximique nomi-
 „ nis Theologos, currat ipse viam, quamcunque vo-
 „ luerit, nemo morabitur. “ iudicet lector, quomo-
 do per istas responsiones obiectioni propositae, quo-
 modo prudentiae regulis, quomodo gravitati theolo-
 gicae satisfiat.

§. XXXVIII. Ad alterum argumentum e D. neque il-
 lae ad argu-
 mentum e
 SS. Patribus
 deductum,
 CHRYSOSTOMO homil. 44. et D. BERNARDO
 lib. de praecept. et disp. cap. 14. desumptum brevi-
 ter respondent Probabilistae. si cum D. CHRYSOST.
inter vestimentum, atque doctrinam facienda sit pari-
 tas, tum equidem prudentius agit, qui pretio vi-
 liori melius vestimentum emit, interim tamen et
 ille non peccat contra prudentiam, qui ob rationa-
 bilem causam, vel praecise ut sua libertate utatur,

pretio cariori vilius vestimentum comparat; quod pariter de illis dicendum, qui vel ob ignorantiam invincibilem, vel ob libertatis possessionem manutendam iudicium minus probabile sequuntur, relicto probabiliori, hoc enim sequi, res est meri consilii, non praecepti; imo nec eo ex capite culpandi sunt probabilis opinionis sectatores, quasi merces putidas comparent, cum adeant Mercatores, id est Doctores, quorum fides et autoritas contemni prudenter non potest. S. BERNARDUM quod adtinet, negant Probabilistae, illum sibi contrarium esse, nam et nos, inquit, *charitatem in intentione, et veritatem in electione observamus*, dum semper ex motivo charitatis id, quod vere bonum est, eligimus; *simplex enim frater* (ut colligitur apud Niderum ex responsis ab Alberto magno aliquando datis) *vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis, quamcunque opinionem voluerit, dummodo alicuius magni Doctoris opinionem sequatur.* At nempe non observant Probabilistae, nullibi extare legem, ut quis vestimenta meliora pro pretio viliori emat, sed rem adeo indifferentem cuiusvis libertati relictam esse, quamvis nihilominus huiusmodi emptor notam imprudentiae non effugiat, si vestimenta meliora pro pretio viliori emere, dum emere posset, negligat; e contra vero adest lex positiva, ut omnia probemus, quodque bonum est, teneamus; ut simus prudentes, sicut serpentes; ut simus perfecti, sicut et Pater noster caelestis perfectus est; ut aemulemur charismata meliora; ut arctam prae plana, angustam prae lata eligamus salutis viam etc. unde, qui libertati potius, quam legibus in linea morali favet, non modo imprudenter agit, verum etiam peccandi periculo

ricu
tunt
inter
ipso
gula
eligi
nus
lus
cap.
tuam
TRI
vent
CHA
NIA
chris
pona
pane
ferar
sequ
fecti
terra
men
nos
fione
simp
long

auth
lum
dubi
et n
peri
Res

riculo se exponit. Deinde, si Probabilistae admittunt, quemvis hominem obligari, ut charitatem in intentione, et veritatem in electione observet, hoc ipso admittere debebunt, et charitatis et veritatis regulas infringere, qui data optione illud intendit et eligit, quod et charitati et veritati comparative minus est consentaneum; eum enim in finem Apostolus Ephesios (non utique Clericos, sed Laicos) cap. 4. monet: *NON IAM SIMUS PARVULI fluctuantes, et circumferamur OMNI VENTO DOCTRINAE in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; VERITATEM autem facientes IN CHARITATE CRESCAMUS IN ILLO PER OMNIA, qui caput est CHRISTUS.* ubi vides nos vi christiani nominis obstrictos esse, ut aliquando deponamus praetextam parvuli, nec semper lac, sed panem, aultorum cibum, petamus; ut non circumferamur omni vento doctrinae noviter inventae, sed sequamur doctrinam Apostolicam, quae ducit ad perfectionem; ut non haereamus in herbis, et radicibus terrae, sed crescamus per omnia, Deo dante incrementum, qui et *augebit incrementa frugum iustitiae nostrae.* quibus praestabilitis minime curamus responsiones illas ab Alberto magno, uti praefertur, fratri simplici datas, utpote magni Apostoli autoritate longe inferiores.

§. XXXIX. Denique ad Angelici Doctoris ^{nec etiam} *authoritatem, qui in Quodlib. 8. num. 13. ait, il-* ^{ad tertium} *lum, qui possidet plures praebendas, et in quandam* ^{e D. Thoma} *dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum,* ^{petitum.} *et manente tali dubitatione plures praebendas habeat, periculo se committere, et sic procul dubio peccare etc.* Respondent Probabilistae, S. THOMAM solummodo

do loqui pro eo casu, dum adest formido de obposito, et ex contrarietate opinionum orta dubitatio, quo utique stante dubio nunquam operari licet, praesertim si dubium istud sit practicum, seseque teneat ex parte ultimi dictaminis reflexi; non vero loqui pro eo casu, ubi habetur sententia vere, practice, ac reflexe probabilis, quae practicam de obposito formidinem excludit. Sed perperam; vix enim, ac ne vix quidem contingere potest, aliquam opinionem utcunque probabilem in comparatione cum opinione probabiliori nullam prorsus involvere peccandi formidinem; nunquid Author ipse ingenuus pag. 171. asserit, nec opinionem probabilioris ab omni prorsus dubitatione immunem esse, ubi tamen et plures et graviores pro veritate rationes pugnant? ergo multo magis admittere debet, maius esse penes opinionem minus probabilem periculum, ubi et pauciora, et leviora sunt veritatis motiva; quodsi autem, ubi maior est ratio, minus periculum, et quo minor est ratio, eo maius timeri debet periculum, plane viri prudentis, et salutem suam plus, quam libertatem amantis non erit, minori periculo relicto, in maius sese conicere, seu, quod idem est, relicta opinione probabiliori, minus probabilem amplecti; agnoscimus et nos, dictamen practicum et ultimum ex principiis reflexis derivandum esse; at vero negamus Probabilistarum subpositum, ipsorum nempe dictamen ultimum et practicum moraliter certum esse, ita, ut virum prudentem ac timoratum in concursu sententiae probabilioris movere possit ad adsensum; nam ut dictamen reflexum sit moraliter certum, debet deduci ex principiis moraliter certis, atqui in eo Probabilistarum Syllogismo: *Qui pruden-*
ter

ter
ver
sed
lis
pia
esse
den
fals
opin
quo
ver
fals
stitu
ter
habe
simi
Aut
pote
tum
nem
bilic
tas
lustr
mai
nuer
3tio
com
into
nion
qual
inno
quan
ener

ter agit, non peccat, sed, qui sequitur opinionem
 vere probabilem, prudenter agit, ergo etc. *subsum.*
 sed haec opinio in his circumstantiis est vere probabi-
 lis, ergo. Praemissae, tanquam conclusionis princi-
 pia, non sunt moraliter certa; nam 1^{mo} Minorem
 esse falsam probatur ex eo; quod utique ille pru-
 denter non agat, qui, quod verosimilius iudicat esse
 falsum, nihilominus eligit; hoc autem facit sequens
 opinionem probabilem relictā probabiliori, hoc ipso,
 quod agnoscat, quo probabilior est opinio, eo esse
 verosimiliorem, quoque minus est probabilis, eo
 falsosimiliorem esse; v. g. prudenter non ago, si con-
 stitutus in bivio, nec pro alterutra via sum morali-
 ter certus, illam adgrediar, quae minorem pro se
 habet verosimilitudinem, relictā altera, quae vero-
 similis mihi recta videbatur. 2^{do} iuxta ipsummet
 Authorem nostrum vir prudens ac timoratus non
 potest bona conscientia sequi opinionem tenuiter tan-
 tum probabilem; iam vero videtur omnem opinio-
 nem quomodocunque probabilem in concursu proba-
 bilioris fieri tantum tenuiter probabilem, quia veri-
 tas se habet per modum luminis, quo intellectus il-
 lustratur, ergo lumen minus per accedens lumen
 maius ita extenuatur et enervatur, ut nonnisi te-
 nuem adhuc et imbellem tantum praestet utilitatem.
 3^{io} iuxta ipsosmet Probabilistas non licet homini
 comedere de cibo, de quo probabilius iudicat, esse
 intoxicatum, ergo multo minus licebit sequi opi-
 nionem, de qua probabilius constat, esse nocivam,
 qualis est opinio, de qua minus probari potest, esse
 innocuam; non est enim habenda maior corporis,
 quam animae cura. Plura, quae hanc in rem, et ad
 enervanda Probabilistarum fundamenta proferri pos-
 sent,

sent, brevitatis causa omittimus, cum inter eos agitur controversia, quibus ampla est Theologorum utriusque opinionis Bibliotheca.

Damnatur
potius Pro-
babilismus
ab ipsismet,
qui olim
fue antPro-
babilistae,

§ XL. Unum tamen adhuc contra Probabilistas argumentum, ex ipsismet, qui acerrimi olim fuerant Probabilistae, desumptum adiungere placuit, idque eo fortius, quo minus iisdem (ut Author noster frequenter obiicit adversae parti) ignorantia Probabilismi imputari valet, quoniam ex diuturnis Probabilismi propugnatoribus, Deo ipsos convertente, facti sunt eiusdem impugnatores; quis enim nescit, Illustriss. ac Eminentiss. D. Ludovicum Henricum de GONDRIN Archiepiscopum Senonensem, Sfortiam PALLAVICINUM, historiae Concil. Trid. Scriptorem, Ios. Sanctium de AGUIRRE, S. R. E. Cardinales, viros pietate non minus ac doctrina insignes probabilismum, cui antehac subscripserant, publice revocasse? quis nescit, etiam ex ipsamet Societate PP. Michaellem ELIZALDA, Thyrsium GONZALEZ, Thomam MUNIESSA, Ignatium de COMARGO, Ioannem GISBERT, et alios plures, sese de Probabilismo quondam defenso accusasse, atque publicam cecinisse palinodiam? nunquid Author noster supra P. I. ex P. Livino Meyer Lovanienses redarguit, quod propter sententias quasdam Baianas ad S. Sedem delati, atque damnati, censuram suam vicissim in suos delatores occasione propositio- num Lessianarum coniecerint, et quo effectu? eo nempe, quod Lovanienses Probabilismum deinceps abiecerint, Societatis econtra Theologi ambabus manibus eundem receperint; ita pariter P. Blasius VI-CECOMES, P. Christophorus a S. IOSEPHO, Carmelit. excalceat. Procurator Generalis, Petrus et Hiero-



Hieronymus fratres BALLERINI apud P. Vincen-
tium PATUZI Ord. Praed. in Tract. de proxima
humanor. actuum regula P. III. pag. 99. suam de
Probabilismo doctrinam solemniter revocarunt.

§. XLI. Notanda est in specie solemnitis et pub- in specie a
Cardinale
de Aguirre.
lica revocatio Cardinalis de AGUIRRE, qua doctri-
nam de Probabilismo antehac defenso condemnat ve-
luti de falsitate suspectam, periculosam, SS. Patri-
bus et Pontificibus contrariantem; en propria Car-
dinalis verba collectioni Concilior. Hispanicorum
praevisa: *Communi fere sensu aut praeiudicio abduc-
tus, in Probabilismo VELUTI IN PULVINO MOL-
LITER QUIESCEBAM*, et plerumque studium meum,
ita ingenue fateor, situm erat in examinando potius,
AN ALIQUID ESSET PROBABILE, quam in in-
vestigando, *AN ESSET VERUM?* deprehendi vero
INGENS PERICULUM SALUTIS in sectando, aut
consulendo aliis Probabilismo, sive usu cuiuslibet opi-
nionis minus probabilis, faventis libertati, in concur-
su alterius probabilioris, adhaerentis praecepto - -
haec videtur esse praxis assidua SANCTORUM PA-
TRUM, Pontificum, et Theologorum pietate insig-
nium *A TEMPORE NASCENTIS ECCLESIAE* us-
que ad finem fere saeculi praecedentis decimi sexti, quo
caepit reputari securus usus opinionis benignae proba-
bilis in concursu austerioris. neque dicant Probabili-
stae, Cardinalem de Aguirre loqui tantum de qua-
cunque opinione probabili, de qua primum inqui-
rendum est, an vera sit? non autem de vera et mo-
raliter certa probabilitate; nam ex paulo ante dictis
§. 39. ostensum fuit, opinionem, qualitercunque vi-
deatur esse vera, ex ipsa tamen comparatione cum
opinione probabiliori amittere suam, quam prius ha-

habuit veritatem; deinde autem nullo modo est subponendum, talem ac tantum virum, qualis fuit Cardinalis de Aguirre, tenuisse, vel docuisse aliquando quasdam opiniones tenuiter tantum probabiles, sed potius tales, quae pro sui iudicii gravitate, et intellectus perspicuitate videbantur esse vere probabiles, quia nusquam legimus, quandam de ipsius propositionibus damnatam fuisse; ast nihilominus Eminentissimus, ac Religiosissimus Doctor censuit, Probabilissimum veluti periculosum, et avitae Sanctorum Patrum, Pontificumque doctrinae contrarium, neque ulterius tenendum, neque aliis consulendum esse.

Probabilissimus non modo contra prudentiae regulas, verum etiam contra Christi doctrinam,

§. XLII. Ait equidem iam saepe laudatus Author pag. 174. dari, quemadmodum in rebus aliis, ita quoque in hac materia, varios prudentiae gradus, ita, ut sequens ubique tutiora, *prudentissime*, sequens probabiliora, *prudentius*, et sequens probabiliora, *prudenter* agat; quis autem hominem, quamdiu prudenter agit, de peccato arguet? dein subiungit, „Theologi autem non quaerunt, an prudentius quis agat in hoc rerum articulo, vel solum prudenter, „sed, num obligatio detur agendi semper prudentius in genere morum?“ huic Authoris nostri responsioni tantum eam obponimus quaestionem, quomodo ergo intelligenda sint illa Christi Domini verba, qui, postquam Math. 25. de servo, qui unicum solummodo talentum acceperat, illudque multiplicare neglexit, sermonem instituisset, subiunxit: *inutilem servum eiicite in tenebras exteriores*. quis est ille servus inutilis? certe non ille, qui sequendo sententiam probabiliorem, verioreque, talentum acceptum perficit et multiplicat, sed ille, qui praecise talen-

talentum illud, quod accepit, sine foenore reddit; cur vocatur inutilis, nisi quia maiorem non praestat utilitatem, sed illud solummodo praestat, quod debet? quod, quid aliud est, quam illud solummodo facere, quod quidem non est infructuosum, sed nec etiam fructuosum? quaerimus ulterius, quomodo intelligenda sint illa Christi Domini verba Luc. 17. *nunquid (Dominus) gratiam habet servo illi, qui fecit, quae ei imperaverat? non puto; sic et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* omnibus profecto Christianis iniunctum est, ut faciant, quae ipsis imperantur, an autem Domino per hoc satisfaciant suae obligationi, si plus non faciant, quam quae imperantur? affirmandum putant Probabilistae, negandum vero putabat Christus; cuiusnam opinio est moraliter certa, et certo vera, Christi? an Probabilistarum? ergo Christus gratiam non habet servo illi, qui solummodo facit, quae intra lineam ultimam strictae legis continentur, sed illi, qui facit, quod suo Domino iudicat esse acceptius, sibi utilius, et prudentiae conformius; si iuxta Evangelicam veritatem *servus inutilis eiicietur in tenebras*, tum illi soli videbunt lumen, qui sunt servi utiles, atqui servi utiles non sunt, ut iterum veritas inquit, qui faciunt, quod facere debent, ergo male sibi consulunt Probabilistae, qui utiliora negligentes, illa praecise faciunt, quae positive non sunt prohibita, nam et haec omnia faciendo, dicendum tamen est illis: *servi inutiles sumus.* ex quibus iam sequitur responsio in forma: sicut servus ille, qui ex quinque talentis quinque alia lucratus fuerat, laudabatur a Domino, quia comparative *prudentissi-*

me operatus fuit, ita pariter, licet minus, laudabatur a Domino, qui ex duobus talentis lucratus est alia duo, quoniam quidem non prudentissime, sed nihilominus *prudenter* egit, quam ille, qui nihil omnino lucratus fuit; hic enim vero eatenus quidem *prudenter* egit, quatenus pecuniam suam non dissipavit, eatenus autem *imprudenter* egit, quatenus pecuniam sibi concreditam non dedit ad Mensam, ut lucrifaceret; unde et servus nequam apud D. Lucam cap. 19. est adpellatus, *sciebat enim*, quod Dominus eius *austerus sit*; scimus autem et nos, quod intellectum et voluntatem, quod legem et libertatem Deus nobis non praecise ad usum, sed ad lucrum concesserit, illudque a nobis exigat, dum non tantum iniquitates, verum etiam *injustitias iudicare soleat*.

et contra
Theologiae
officium
pugnat,

§. XLIII. Male igitur sonat in auribus nostris, quod Author ingenuus dicat, Theologos non curare, utrum aliquis prudentius agat, dummodo prudenter agat; quasi vero Theologi officium non esset, ea tenere, atque docere, quae speculative credenda, et practice agenda sunt; in speculativis fidei christianae materiis iuxta ipsosmet Probabilistas ubique tenenda sunt probabiliora, et authoritati conformiora, quin humano intellectui utcunque perspicaci deferendum sit; cur non etiam in practicis christianae Moralis materiis plus authoritati, quam libertati est deferendum? an maius est periculum, sequi minus probabilem in materia fidei, quam sequi minus probabilem in genere morum, cum tamen utrumque dogma summam pro se habeat praesumptionem? si stante invincibili legis credendae ignorantia iuxta probabiliorem Patrum sententiam est iudicandum, cur non aequae stante invincibili legis observandae igno-

ignorantia probabilior sententia erit eligenda? in prior casu stat praesumptio pro lege contra rationem humanam, cur non et in altero contra libertatem humanam? disparitatem credimus tamdiu dari non posse, quamdiu non probatur, solum intellectum per scientiam boni et mali suo iure excidisse, libertatem autem permanuisse intemeratam; erit igitur Theologi officium, non modo in rebus fidei, verum et in praxi morali probabiliora sectari.

§. XLIV. Exemplum illud de autoritate S. THOMAE AQUINATIS, et S. BONAVENTURAE, vel IOANNIS DUNS SCOTI adductum, ad rem non facit; neque enim Author ingenuus, neque alius quivis constitutus est arbiter autoritatis; speculative non dubito, maiorem esse S. Thomae, aut S. Bonaventurae, quam Ioannis Duns Scoti autoritatem, quoad practicum autem dictamen nemo prudens relicto Angelico, Seraphicoque Doctore subtilem sequitur, nisi huius rationes hic et nunc iudicet probabiliores probabilitate intrinseca, dum nihilominus in aliis materiis omnino maiorem probabilitatem stare concedat penes priores illos; ubi vides, ubique rationem et prudens dictamen ultimum *pro autoritate* - eaque comparative maiori, nunquam autem *pro libertate*, quae semper aequalis est, pronuntiare; atque hoc in gratiam Authoris nostri, suorumque Sociorum dicta sunt, qui, (ut benigne de illis iudicemus) certe non reiicerent S. AUGUSTINUM, magnum illum praedestinationis et gratiae efficacis Doctorem, cuius tamen autoritatem speculative iudicant novioribus longe maiorem, neque suum sequerentur MOLINAM, nisi practice iudicarent, in praedictis materiis graviora pro systemate

nec valet
exemplum
ab Autore
adductum.

ex S. Thoma,
et S. Bonaventura,

mate Moliniano, quam pro Augustiniano pugnare pondera; et sic porro respondemus etiam ad ambas illas propositiones e D. THOMA in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. et S. BONAVENTURA pariter in 4. dist. 7. art. 4. in 2. p. q. 3. pro exemplo adductas; nempe illam opinionem esse tenendam, quae secundum iudicium ultimum et practicum hic et nunc vel intrinsece vel extrinsece iudicatur esse *probabilior*, non autem, quae nudam *probabilitatem* non transcendit; hanc doctrinam nostram propriis Authoris ingenui verbis confirmamus, dum pag. 178. ait „ quam pro-
„ clive est, in negotio libertatis contra legem tuen-
„ dae, ut quis probabilius credat id, quod libertati
„ favet? quam difficile, inter gradus probabilitatis,
„ ut ita dicam, in linea ascendente ac descendente
„ verum discrimen invenire? quam primum, spec-
„ tata ingenii nostri mobilitate, ac persuasionum
„ tanta, quanta gustuum varietate, ut quod hodie
„ probabilius, cras minus probabile adpareat? “ ita
est! quodsi autem iuxta virum ingenuum tanta sit,
quaenam inter duas opiniones magis ad adsensum moveat? iudicandi difficultas, eadem utique aut maior
adhuc erit, spectata ingenii mobilitate, et intellectus infirmitate, diiudicare, quaenam opinio sit vere,
quaenam certo, quaenam leviter, aut nullo modo probabilis? ut adeo hac in materia tam parum statui possit quaedam regula generalis, quam parum in materia medica quaedam Medicina universalis; nisi haec unica ex ante dictis deducta: in materia
morum, et duabus opinionibus occurrentibus illam tenemur amplecti, quae hic et nunc practice iudicatur
esse *probabilior*.



§. XLV. Ad ea demum, quae Author noster Antagonistae suo §. 3. obponit, cum nihil novi contineant, iamtum in antecedentibus abunde credimus responsum fuisse; interim, etsi ex adparitione defuncti Cancellarii Parisiensis non multum probetur, neque etiam Probabiliorismus mortuis indigeat testibus; videtur tamen, Authorem nostrum ad eam paritatem ex HENRICI IV. Galliarum Regis iudicio ductam sat solide non respondere; nam falsum est, Probabilistas et Probabilioristas in eo consentire, Tutiorismum esse bonum, ac propterea tenendum, non enim ad sequelam obligant, sed hortantur solummodo; econtra vero ad sequelam Probabilismi neutra pars obligat, nec etiam hortatur, imo dehortantur potius Probabilioristae; deinde etiam falsum est, Probabilistas omnes in eo convenire, tantam esse Tutiorismi bonitatem, ut eam semper sequi teneamur, sed potius tam Tutioristae, quam Probabilioristae in eo conveniunt, *non licere sequi opinionem probabilem*; hinc manet vis argumenti a Praesentato propositi: Henricus IV. prudenter egit eligens *Religionem catholicam*, illam enim *salutiferam* esse, tam Catholicis, quam Calvinianis unanimiter adserebant, non autem prudenter elegisset religionem Calvinii, hanc enim *salutiferam* esse, soli Calviniani adserebant; ergo etiam prudenter agunt Probabilioristae, suam enim doctrinam non ipsi tantum, sed et probabilistae commendant; econtra vero imprudenter agunt Probabilistae, utpote quorum probabilismus tum a Tutioristis, tum a Probabilioristis damnatur; caeteras Authoris responsiones videsis enervatas in antecedentibus, et immediate sequentibus.

CAPUT III.

Fundamenta praecipua Probabilismi.

Praemissa
protestatio-
ne dicimus,

§. XLVI. **A**ntequam ad perpendenda Probabilis-
mi praecipua fundamenta progredia-
mur, denuo publiceque testatum facimus, animum
nobis nullatenus esse, ut ex particulari quodam re-
spectu maiorem his, quam aliis tribuamus authorita-
tem, aut quibusdam parcendo, in alios tantum strin-
gamus calamum, absit; *Probabilissimum* quippe a qui-
buscunque demum, et cuiuscunque Ordinis vel Sta-
tus Theologis defensatum, non autem *Probabilistas*
ipsos eiusdem propugnatores impugnare intendimus;
dum enim solius veritatis vel tuendae, vel inquiren-
dae causa mutuis armis collidamur, illud S. HIE-
RONYMI ad S. AUGUSTINUM ep. 14. semper an-
te oculos habeamus necesse est: *Non tam hebes sum,*
ut, si diversa senseris, me a te laesum putem. quo
iam subposito ipsa Probabilismi fundamenta confide-
remus.

Probabili-
stis nec au-
thoritatem
S. Scriptu-
rae,

§. XLVII. Primum fundamentum Probabili-
stae ponunt *in autoritate*; sed quali illa? num for-
san *in autoritate* primitivae Ecclesiae? non; hic
enim tales conspiciunt Christianos, qui Spiritu S.
pleni *de virtute in virtutem ibant*, tendebantque con-
tinuo ad maiorem vitae perfectionem; hic nonnisi
arctam viam, et angustam portam deprehendunt, per
quam itur ad astra; hic non vident, nisi *animas ca-*
stificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amo-
re, simplici ex corde se invicem diligentes ADTEN-
TIUS; hic maior erat cura charitatis, quae tendit
ad alta, et foras timorem pellit, quam libertatis,
quae

quae legem nescit; hic *MAGIS* satagebant, ut per bona opera *CERTAM* suam vocationem, et electionem faciant; hic suae credebant esse obligationis primae-
vi Christiani, ut sint perfecti, sicut et Pater ipsorum perfectus est; hic, si quis etiam omnia fecerit, quae debebat, sese servos inutiles dicebant; hic infimo gradu probabilitatis neutiquam contenti, aemulabantur charismata meliora; hic omnes talentum, seu *Mnam* sibi concreditam verebantur sudario involvere, et sub-
tus terram abscondere, sed potius ad mensam ponere, ut *FRUCTIFICARET*; timebant illi primogeniti Ec-
clesiae horrendam illam comminationem: utinam fri-
gidus esses aut calidus, sed quia *TEPIDUS* es, inci-
piam te evomere ex ore meo; hic optime norant, duas esse vias ipsorum arbitrio propositas, unam, quae *VIDETUR* hominibus *RECTA*, et novissima
eius ducunt ad mortem, alteram vero viam excellen-
tiorum a Paulo demonstratam, videlicet charitatis; hic denique probe perspexerant Christiani, etiam
eum, qui iustus est, iustificandum *ADHUC*, et sanc-
tum *ADHUC* magis sanctificandum esse. neque dicant Probabilistae, textus istos probare nimium; nam ab-
solute non probant nimium, dum a nobis exigunt perfectionem christianam cuilibet statui et vocationi
proportionatam; sed solummodo probant nimium re-
spective ad Probabilismum; si enim, ut ipsemet Pro-
babilista noster admittit, Tutioristae ab hac perfec-
tione longe, Probabilioristae longius, et Probabili-
stae longissime sunt remoti, quia illi prudentissime,
isti prudentius, hi autem saltem prudenter adhucdum
agunt, mirum non est, S. Scripturae textus longe
duriores probabilistis, quam probabilioristis videri,
licet verbum Domini in aeternum maneat: iugum
meum suave est, et onus meum leve.

Neque au-
thoritatem
SS. Patrum,

§. XLVIII. Qualis igitur erit autoritas, quam velut Basin suae doctrinae deprædicant Probabilistae? an forsitan SS. PATRUM, aut CONCILIORUM? At vero SS. Patres ad unum omnes Probabilissimum nesciisse, imo nonnisi constanter ad perfectiora hortatos fuisse, unanimis est ipsorummet Probabilistarum adsertio; toties enim, tamque vehementer propterea exagitati, ne unum quidem sibi faventem hactenus potuerunt ostendere, plurimos vero, qui obligationis quidem vigilantissimam, exiguam autem habuerunt libertatis humanae curam; antiquissimi, quos citare possunt ac solent, non quidem Ecclesiae, bene tamen probabilis doctrinae Patres, ultra saeculum decimum sextum non ascendunt, quibus proin et competens *antiquitas*, et vitae *sanctitas*, et forsitan etiam sufficiens doctrinae *veritas* defuit. Dum econtra Probabilioristae, iuxta notum illud adagium: *purius ex ipso fonte bibuntur aquae*, suam doctrinam ex illo rerum theologicarum fonte, quem SS. Patrum consensus constituit, derivare soleant, cumque illis eos omnes inter imprudentes numerent, *qui vident meliora, probantque, deteriora sequuntur*. Quod autem Probabilioristae, ut alicubi conqueritur Author noster, SS. Patrum verba non citent, non ex verborum penuria, sed copia provenit, qua paginae quidem complerentur, quin tamen id genus hominum converteretur, qui omnem retro doctrinae antiquitatem libertati postponunt, sicque incassum reddunt suis distinctiunculis, et benignis interpretationibus, Probabilistarum laborem omnem. Deinde, eo etiam ex capite viri clarissimi e SS. Patribus integros sermones, homilias, exhortationes, tractatus, epistolas etc. contra Probabilistas citare,



citare, iudicant esse supervacaneum, quod hi, si iam aliter amplius excipere nequeant, submisso capite venerabundi respondeant, se venerari SS. Patrum praeclara morum, vitaeque christianae monita, et optare insuper, ut ab omnibus et semper observentur, sed id solum sese negare, quod, cum commendatur opinio et actio melior, hocipso etiam damnetur opinio minus bona, interim tamen adhuc prudens et bona; dumque hac responsione omnes SS. Patrum textus elidunt, omnem sui Probabilismi firmitatem in eo collocant, quod quidem omnes ad Probabiliora sint *excitandi*, non autem sunt *obligandi*, quia virtus, inquit, et peccatum non ita obponuntur, ut, qui non operatur melius, hocipso peccet. Ergo subponunt Probabilitae, SS. Patres tantum Consiliarios ovium suarum, non autem et Praeceptores fuisse? ergo subponunt, opinionis benignae sequelam iam tunc temporis fuisse licitam? cum tamen illud omnibus in lectione SS. Patrum versatis falsissimum, istud vero ipsismet Probabilistis contrarium sit, qui sui Probabilismi originem, praxin et usum neutiquam SS. Ecclesiae Patribus; sed Caramueli, Medinae, Dominico Soto, Dianae, Laymanno etc. adscribunt; nunquid hi sunt Patres illi, de quibus S. Proverbiafles: *ne transgrediaris terminos ANTIQUOS, quos posuerunt PATRES tui?*

§. XLIX. Sed neque autoritate CONCILIORUM gloriari possunt Probabilitae, utpote quorum Canones (quos certe per modum solius consilii recipere audebit nemo) ubique sapiunt et praescribunt Probabiliorum sequelam; hinc nulla in ipsorum libris citatio, imo ne cura quidem; satis est iisdem, domestica, vel saltem privata venerari et sequi oracula;

aut Conciliorum,

cula; heic sedent, heic requiescunt, heic unice fundantur, imo eousque deveniunt, ut pro suae causae dilatione, et Probabilioristarum fatigatione postulent, sibi, quemadmodum Patres, ita quoque conciliorum textus vel canones citari, quibus Probabilismus tanquam illicitus declaratur; non enim cogitant, Probabiliorismum per quindecim iamiam saecula solum, et in quietam fuisse possessionem, Probabilismum autem a duobus ultimis primum saeculis agere in petitorio, adeoque illam Probabilistarum regulam: *melior est conditio possidentis*, favere magis Probabilioristis, quam Probabilistis, hisque onus probandi incumbere, Probabilismum suum, ut sit *genuinus* doctrinae Ecclesiasticae partus, et SS. Patribus et Conciliis conformem esse, quod tamen nunquam, ut probabilius opinamur, praestare poterunt, dum econtra si deinceps detur occasio, nos ad utrumque offerimus.

Sed neque
summorum
Pontificum,

§. L. Tandem nec PONTIFICUM autoritas suffragatur Probabilismo; praeterquam enim, quod summi Pontifices ab ALEXANDRO VII. usque ad BENEDICTUM XIV. ingentem propositionum numerum condemnarint, quarum Pater Probabilismus eo minus negari potest, quo evidentius nomen Patris sui scriptum gerunt in frontibus suis, nempe terminos illos: *probabile est, probabiliter asseritur, fines probabilitatis non excedit etc.* quales sunt propositiones illae olim ut probabiles habitae quadraginta quinque ab ALEXANDRO VII. anno 1665. et 1666. damnatae, item aliae sexaginta quinque anno 1679. ab Innocentio XI. proscriptae; duae quoque huius farinae propositiones ab ALEXANDRO VIII. anno 1690. confixae; insuper etiam testatur Eminentiss.

Car-

Cardinalis de AGUIRRE in Praefat. ad concilia Hispanica num. 24. in sacris Romanis congregationibus quotidie innumerae occurrunt causae, quarum decisio e sacris Conciliorum canonibus pendet; ubi autem Authorum occurrunt sententiae, illa omnino praefertur, quae omnibus hinc inde consideratis TUTOR videtur, aut IURI ET AEQUITATI CONFORMIOR. atque haec quidem in Ecclesia Romana, omnium caeterarum Ecclesiarum Magistra; idipsum de S. Paenitentiaria testatum facit Eminentiss. Cardinalis PETRA cap. 9. num. 6. in opinionum electione S. Paenitentiaria eas sequitur, quae saluti animarum obesse non possunt, et propterea non se credit cuicunque Doctorum iudicio, nisi veritate fulciatur; quodsi inter obpositas sententias versetur, ut vere ambiguum et dubium maneat, tutiorem partem praelegit, a qua omnino distet ruinae spiritualis quaelibet suspicio; atqui opinio, licet quomodocunque vera videatur, hoc ipso tamen, quia est falso similior, saltem potest obesse saluti animarum, multo minus est tutior, adeoque non omnimode distat a spiritualis ruinae suspicionem. Amplissimum tandem, omnique exceptione maius contra probabilitatem testimonium suppeditat SS. D. BENEDICTUS XIV. P. M. Tom. 2. notificat 6. num. 27. ibi: Haec tamen, quae in scholis, et Magistrorum scriptis TAM FIDENTER adseruntur, delata ad Tribunalia, MINUS FELICITER excipiuntur, TUTIORA enim exquirunt Iudices. enimvero fidenter adseritur illa sententia, quae omni Theologiae Ecclesiasticae fundamento caret, nullamque pro se aliam, nisi novam et privatam habet auctoritatem; hinc mirum non est, eiusmodi opinionem in SS. Tribunalibus minus feliciter excipi, quia minus pro-

probabiliter proferuntur; neque favorabilem sibi poterunt promittere sententiam Probabilistae, quando supremi iudices ne dicam probabilia, sed et omnino *tutiora* sequuntur. Hoc ulterius patet ex Decretal. GREGORII IX. Tit. 12. de homicidio; ibi CLEMENS III. interrogatus, an Presbyter, qui casu domesticum suum vulneraverat, et dubium erat, an ex illo vulnere, vel alia ex causa mortuus fuerit, ad ministerium Altaris admitti valeat, respondit cap. 12. *Quia vero, utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur, tuae discretioni duximus respondendum, quod, cum in dubiis semitam debemus eligere tutiorem, te convenit, iniungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* nec dicant Probabilistae, capitulum istud loqui de foro tantum externo, non autem interno, item, loqui de dubio facti, non vero Iuris; nam imprimis maior est cura fori interni, quam externi habenda; si ergo tutior quoad forum externum obligat, multo magis obligabit quoad internum; deinde responsum Pontificis valere quoque de dubio iuris, non facti tantum, confirmatur ex eodem Tit. cap. 18. ubi in casu, quo fur Ecclesiasticus a Sacerdote percussus, dein a Parochianis occisus est, manente dubio an prima iam percussio lethalis fuerit? respondit INNOCENTIUS III. *quodsi discerni non possit, ex cuius effectu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos, et si forte homicida non sit, a Sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare, sit tutius, quam temere celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo autem magnum periculum timeatur.* Hic ipse quoque INNOCENTIUS III. in simili materia probabili circa Episcopum



pum Herbipolensem ab Archiepiscopo Magdeburgensi excommunicatum, at nihilominus celebrantem cap. §. de Cler. excommunic. rescripsit: *licet in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse, quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare.* tanta videlicet in Romana curia est praesumptio libertatis probabilisticae.

§. II. Ad exemplum Romanae Sedis plerumque Ordinum Regularium decreta, prout fuse enarrat P. Patuzzi P. III. cap. 9. §. 2. p. m. 89. iam dudum statuerunt, ut sui Theologi quoad morum doctrinam S. Scripturae praepimis, avitae traditionis, Conciliorum et SS. Patrum auctoritatem contra quascunque doctrinarum novitates sequantur; quibus novissime accessisse dicitur Seraphicus Ordo S. FRANCISCI, suos Alumnos sub gravi obligatione, gravisque paenae interminatione adstringens, *ne opiniones minus probabiles sive in schola doceant, sive in praxi sectentur.* quo etiam collimare videntur statuta Bavaricae Congregationis, ubi omnes, qui morum doctrinam tradent, eam, cum de ipsa Christi lege agitur, ex Scripturis iuxta Patrum sensum expositis; et ex eorundem Patrum traditione haurire iubentur; quod quid aliud est, quam opiniones probabiles procul ablegare, utpote quae nec in Scripturis, nec in Patribus solidantur. quid vero egerit CLERUS GALLICANUS in suis comitiis anno 1700. celebratis, Probabilistas certe non latet, nam Probabilistarum propositionem imam: *Puto, omnia esse hodie melius examinata; et hanc ob rem in omni materia, et praecipue in Morali, libentius iuniores quam*

neque
aliorum te-
stium ac
propugna-
torum ve-
ritatis.

antiquiores lego et sequor; doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a iunioribus petenda. hac censura notaverat: Haec propositio temeraria est, scandalosa, perniciofa, erronea, SS. Patribus et antiquis Doctoribus contumeliosa; spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum ac Traditionis auctoritate et interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, et doctrinas, Christo prohibente stabilendas. deinde vero Probabilistarum propositionem 4tam et 5tam: si liber sit alicuius iunioris ac moderni, debet opinio cenferi probabilis, cum non constet, reiectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem. Non sunt scandalosae, aut erroneae opiniones, quas Ecclesia non corrigit. hisce verbis perstrinxit: Hae propositiones, quatenus silentium et tolerantiam pro Ecclesiae, vel Sedis Apostolicae adprobatione statuunt, falsae sunt, scandalosae, saluti animarum noxiae, patrocinantur pessimis opinionibus, quae itentidem temere obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem, iniquis praeiudiciis obprimendam, viam parant. Praeterea constat, iam antea Parisienses, aliosque Galliarum Parochos animarum saluti pro sui muneris officio invigilantes libellum supplicem ad Episcopos dedisse, in quo contra plurimas Probabilistarum propositiones eo tempore circumvolitantes, utpote suo gregi nocivas, conquerebantur, prout habetur in istius libelli supplicis italica editione, Lugano 1759. sub titulo: Raccolta dei Scritti dei Parochi di Parigi, e di altre città della Francia intorno à varie opinioni morali. quid demum hac in materia praestiterint Hispaniarum, Belgii, aliarumque Regionum Episcopi, fuse narrat iam supra laudatus P. Patuzzi P. III. cap. 6. et 7. quo Lectorem remittimus.

§. LII. Dum ergo Probabilistarum doctrina nec in verbo divino scripto vel tradito, nec in SS. Patrum aut Conciliorum dogmatibus, nec in Pontificum, aut aliorum Tribunalium constitutionibus inveniat Patrocinium, quo se vertat quasi nescia, ab antiquitate adpellat ad iuniores Probabilistas, ubi facile divinare poterat, eosdem sibi Patrocinaturos esse; qui tamen, quantae sint in Ecclesia auctoritatis, si cum Patribus Ecclesiae conferantur, nemo non videt; saltem ne hic quidem quiete, ac diu gaudere potuit civitatis iure, nam e Lusitania, Hispania, Neapoli, et Galliis pulsa, in ipsius quoque Imperii Romano-Germanici Metropoli Viennensi, ut audivimus, exesse nuper iubebatur, dum Amicus, Ardeckin, Azorius, Banoltius, Bardius, Baunius, Benzius, Biesmann, Busenbaum, Caramuel, Cardenas, Castropalaus, Diana, Dicastillo, Escobarius, Esparza, Francolinus, Filliucius, Faber, Gobat, Ghetius, Guimenius, Hurtado, Johnson, Illsung, Lugo, Laymannus, La Croix, Merolla, Mendo, Moya, Martinonus, Millhard, Pasqualigo, Pelizarius, Pfau, Rhodes, Sayrus, Sanchez, Sporer, Salas, Emanuel Sa, Sandaeus, Tamburinus, Terillus, cum plurimis aliis iubente S. Caesar. Reg. et Apostol. Maiestate in classem librorum per ditiones Austriacas prohibitorum coniciebantur, si ergo Probabilismus hisce, ac huiusmodi virorum auctoritati, velut principali atque unicae suae Basi sit superaedificata, hanc illi firmitatem nullatenus invidemus.

Ergo nulum, vel exiguum in auctoritate invenit subfidium Probabilismus,

§. LIII. Lepidum autem nobis videtur, quod Probabilistae, ut suo Probabilismo fucum antiquitatis adfingant, pro sua causa duos GUILIELMOS, unum Antisiodorenses, alterumque Parisienses citare

multoque minus in antiquitate,


tare soleant, quos S. THOMAS opusc. 22. cap. 2. *antiquos et famosos Magistros* adpellat, cum tamen nonnisi triginta et amplius annis ante ipsum floruerint; quasi vero in materia tam gravis momenti, nempe in materia morum, unde Salus hominis aeterna pendet, sermo sit de *antiquitate scholastica*, de qua S. THOMAS hic loquitur, ac non potius de *antiquitate Ecclesiastica*, quae certe saeculum duodecimum longe transcendit; si illa esset vera antiquitas, antiquam etiam deberemus dicere sectam Lutheri, quae probabilismo si non antiquior, saltem coaeva est.

Et si non
existat lex
directa et
particularis
Probabilis-
tatum pro-
hibens,

§. LIV. Alterum suae doctrinae fundamentum Probabilistae quaerunt in defectu obligationis, qua tenemur id semper eligere, quod est probabilius; ita quippe ingenuus Probabilista noster cap. 4. §. 2. pag. 195. „frustra obligatio adseritur, ubi nulla lex obligans potest exhiberi; est enim obligatio „filia legis, haec si desit, libertas e possessione sua „deici nequit quocunque in foro, seu sacro, seu profano, quinimo ipsa tunc libertas sua sibi lex esse „potest, et agendi norma.“ et legem quidem aliquam divinam vel humanam positivam negat proferri posse, legem autem naturalem et negativam quandam existere, qua praecipitur, relicta opinione minus, vere tamen ac theologice probabiliter tenendam esse probabiliorem, falsissimum esse contendit.

Existunt
tamen leges
reflectivae
et generales
ex lege
naturae,

§. LV. Sed respondemus, quamvis certum non sit, legem aliquam *directam* et *particularem* existere, aut existere debere, uti petunt Probabilistae, quia in huiusmodi materiis, quae praecise a circumstantiarum diversitate sunt iudicandae, nunquam ferri



ferri potest lex aliqua directa et particularis; alias quippe pro circumstantiarum et casuum multitudine, ipsae quoque leges deberent multiplicari; quantavero hinc sequeretur confusio? Igitur sufficiunt, et existunt etiam leges *reflexae* et *generales*, quibus in dubio semper id, quod est melius et verius, tenemur eligere; has enim satis patenter et ipsa ratio naturalis, ipsimet Philosophi gentiles, SS. Patres, et summi Pontifices promulgarunt, dum praeter ea, quae supra §. 42. et 47. e SS. litteris adtulimus, ipsa natura rationalis dicitur, *maiolem animae curam, quam corporis, habendam esse*; ex hoc enim principio quilibet homo prudens in concursu duarum viarum illam solet eligere, quae sibi et certior et securior comprobatur; quivis prudens Paterfamilias ut domum suam vel a furibus, vel ab incendio immunem servet, eas adhibet praecautiones, quae, si non optimae, saltem caeteris meliores adparent; quilibet prudens conviva quoad esum et potum ab illis abstinet, de quibus eidem certius constat, suae sanitati non esse obnoxia; quivis prudens Oeconomus ita negotiatur, ut ea semper prae aliis negotia eligat, unde maius lucrum, maiusque sperat emolumentum; quilibet Rex prudens ita gubernat Rempublicam, ut ea semper acceptet consilia, ea semper adhibeat media, quae fini suo, nempe saluti publicae sunt aptiora, magisque consentanea; de Medico iam supra diximus, quod legem aliquam positivam, directam et particularem non habeat, securiores applicandi medicinas, et tamen ad istas iure naturae adstringitur; sed nec infirmum ipsum ab imprudentia excusaremus, si caeteris paribus eam negligeret Medicinam, unde citius et certius suae sanita-

nitatis consequi posset integritatem; sic et prudens Polemarchus civitatem hostilem dictante utique rationis lumine nonnisi ea ex parte, iisque machinis adgreditur, ubi et quibus probabilius iudicat, se illam et minori cum damno, et maiori celeritate intercepturum esse; nauta quoque, si naturae dictamen sequi voluerit, si duo ante se fluminis vada conspiciat, illud procul dubio seliget, ubi maior ipsi monstratur navigandi securitas; et unde haec omnia, nisi ex *lege naturae*, qua et nos ipsos amare, et statum nostrum perficere, maioremque proin animae, quam corporis, curam gerere tenemur, quin tamen exinde turbetur libertatis possessio, quae, etiam stante legis naturalis observantia, facta tecta manebit.

ex autho-
ritate gen-
tilium.


§. LVI. Deinde notum est illud gentilium Philosophorum principium, *hominem debere Diis assimilari*, quod fieri non potest, nisi homo relictis imperfectis et falso similioribus, ad perfectiora semper, et verosimiliora tendat, sicque summae veritati, et bonitati studeat adpropinquare; hinc illud EURIPIDIS Helen. v. 1164. *neque compertum habeo, quid certum sit in rebus humanis, Deorum verba vera esse reperi.* nempe non rationem, sed religionem, non hominis libertatem, sed Numinis voluntatem agendorum esse normam et regulam, quae semper dictat perfectiora. hinc illud CICERONIS lib. 1. de Offic. *Bene praecipunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, aequum sit an iniquum.* atqui in iudicio probabili semper adest prudens dubitatio, an aequum sit, an iniquum, an verum sit, an falsum, hoc ipso, quod opinio probabilis longius a veritate recedat, et propius accedat ad falsitatem. hinc Epictetus apud DANIEL. HUETIUM de Concord. Rat.

et

et Fid. lib. 3. cap. 7. *nota profectus est ad virtutem, si quis a se, tanquam ab inimico, caverit; quod ita exponit Simplicius, maiori severitate et acerbitate in nos ipsos esse inquirendum, quam in inimicos, nihil nobis amore nostri concedentes; ergo vel ipsimet gentiles agnoverant, signum profectus ad virtutem, ad quam omnes ex lege naturae obstringimur, esse, si nihil amore proprio, aut propriae libertatis faciamus. huc spectat et illa Publii Syri sententia, malum esse vocandum, qui sua causa bonus sit; et illa Senecae Ep. 113. virtutem non solum colendam esse gratis, sed in eam impendendam etiam esse vitam, totamque cogitationem a privatis commodis longissime avertendam. non autem libertatem, suamque commoditatem virtuti postponit, qui hanc negligit, ut in illius maneat possessione, et sua causa sit bonus.*

§. LVII. Praeter ea, quae supra §. 48. et iam antea e S. CHRYSOSTOMO, et BERNARDO retulimus, alii quoque SS. Patres et Ecclesiae Doctores agnoscunt, sequi sententiam aut probabiliorem, aut interdum etiam tutiorem, non esse meri consilii, sed praecepti; sic imprimis S. AUGUSTINUS lib. 1. contra Donatistas cap. 3. quaerit, an peccaret, qui Baptismum a Donatistis reciperet in dubio, an ipsi licite baptizent, nec ne? cum tamen ex altera parte certus sit, in Ecclesia catholica Baptismum sicut valide, ita et licite administrari? iuxta Probabilistarum principia debuisset utique respondere pro Baptismo Donatistarum, et in favorem libertatis, praesertim in casu, quo ipsi prohibitio Baptismi Donatistici non satis est nota, vel quando molestum foret adire catholicam quandam Ecclesiam; at longe aliter vir sanctus, ait enim: *etiamsi dubium*
na-

ex doctrina SS. Patrum, et Ecclesiae Doctorum.



haberet, non illic recte accipi, quod in catholica recte accipi, certum haberet, GRAVITER peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo, quod CERTIS INCERTA praeferret. neque dicant Probabilistae, S. Patrem hic loqui de conscientia practice dubia, et quidem in materia Sacramentorum, ubi aliunde amplectendam esse tutiorem, probabilio remque, concedunt omnes; nam S. Pater non docet, dubium istud ex principiis reflexis esse deponendum, prout opinantur in simili casu Probabilistae, sed praecise iubet, ut certa incertis praeferantur; deinde quaestio ibi non fuit de Baptismi valore, ubi apud omnes certum est, eligendam esse opinionem tutiorem, sed solummodo de honestate, an videlicet susceptio Baptismatis Donatistici licita sit vel illicita? ut adeo nullum hic Probabilistis effugium pateat. DOCTOREM vero ANGELICUM quod spectat, fatentur ipsimet sinceriores Probabilistae, nempe Vasquesius in I. 2. disp. 62. c. 1. et Azorius Tom. I. lib. 2. c. 16. S. Doctorem adversari Probabilistis; hic ergo in Quodlib. 9. art. 15. ait: omnis quaestio, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur; quia error, quo non creditur peccatum esse mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forsan a tanto. nec satis, pergit enim ulterius directe contra systema probabilisticum: praecipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quaestione accidit; cum enim ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex iure divino, vel ex iure naturali, et ad Iuristas, in quantum dependet ex iure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, et Iuristae Iuristis contraria sentire. adeoque

que
thor
Prob
sed
gere
exce
fiden
audi
quae
sequ
tio f

trum
PRI
ferre
Med
Eccl
fuis
Doct
tem
Qua
erit
possi
tem
Naz
cum
mod
novi
quod
in ae
da,
gene
scanc

que iuxta S. Doctorem in tali quaestione, ubi Authores Authoribus contraria sentiunt, non ait more Probabilistarum, nos utramlibet partem sequi posse, sed potius, periculosum esse, partem tenuiorem eligere; hinc Quodlibeto 3. art. 10. expressam facit exceptionem inquit: *in iis, quae non pertinent ad fidem, vel AD BONOS MORES, absque periculo auditores utramque opinionem sequi posse.* ergo in iis, quae ad fidem vel mores pertinent, absque periculo sequi non possumus utramlibet partem, quia exceptio firmat regulam in contrarium.

§. LVIII. Sed quid iuvaret, integros SS. Patrum v. g. S. GREGORII Nazianz. et Nysseni, CYPRIANI, aut AMBROSII textus contra illos proferre in medium, qui suos Suaresios, Vasquesios, Medinas, Caramueles, etc. pluris, quam antiquos Ecclesiae Patres aestimare videntur, maioremque suis a se occupatis Academiis, quam omnibus aliis Doctorum veterum caetibus adtribuunt authoritatem, quique cum Caramuele sarcastice respondent: *Quaerunt casus temporum Doctores temporum; bellus erit ille Criticus, si ex Augustini doctrina dissolvere possit emergentes nodos circa Simoniam, irregularitatem etc. omnesque contractus ex Gregorii Nysseni et Nazianzeni placitis componere.* miramur plane, una cum nova morum doctrina novis temporibus adcommodata, non etiam requiri novam fidei doctrinam; novis nostris temporibus melius proportionatam; quodsi autem verbum Domini quoad credenda manet in aeternum, manebit procul dubio etiam quoad agenda, prout optime observavit Clerus Gallicanus, in generalibus illis comitiis anno 1700. celebratis veluti scandalosam, perniciosam, erroneam, SS. Patribus

Quorum tamen auctoritate non movetur Probabilistae, quia illam sibi fatentur contrariam.



et antiquis Doctoribus contumeliosam etc. damnans illam P. Moyae propositionem §. 51. allegatam; de caetero, si Probabilistae praeter ea, quae hactenus ex iure naturali, divino atque humano pro stabilienda Probabiliorismi obligatione per decursum adduximus, plura requirant, adeant Natalem Alexandrum in sua Theologia dogmatica morali, Ioan. Pontas, Gonetum, Concinam, Billuartum et alios; nos omnia unico isthoc ratiocinio complectimur: Non illi, qui est in possessorio, sed illi potius, qui agit in petitorio, incumbit onus probandi, licitum esse Probabilismi sequelam, iuxta fundamentale Probabilistarum principium: in dubio melior est conditio possidentis; atqui, probabiliorismus ipsismet Probabilistis fatentibus fuit in quiete suae doctrinae possessione iam a quindecim Ecclesiae saeculis, semperque tenuit, sententiam probabilem non esse licitam; ergo non Probabilioristis, qui sunt in possessorio, sed Probabilistis noviter emergentibus incumbit onus probandi, suum probabilismum divinis litteris, traditioni, aliisque locis theologicis conformem, sique licitum atque honestum esse, quam probationem avidissime expectamus.

ex infinita
Dei sapien-
tia et boni-
tate, quae
non tam
Probabilis-
mo,

§. LIX. Iam ad ipsam Dei sapientiam et bonitatem adpellat ingenuus Author, eamque vocat in adiutorium, inquires, alienum esse ab infinita sapientia et bonitate Dei, humanae conditionis fragilitatem optime perspicientis, quod *obligare* nos velit ad eligendas sententias severiores, seu tutiores, seu probabiles, ac prohibere, ne mitiores et vere probabiles in actionibus quotidianis sequamur; quod praecepto tam difficili nos voluerit *adstringere*, ut singulis quasi momentis licitationem quandam inter

duas

duas sententias occurrentes instituamus, quod onus utique humanis humeris non ferendum, Carnificina conscientiae, multorumque peccatorum *formalium* causa foret, quae in doctrina Probabilismi ad summum essent peccata *materialia*.

§. LX. Sed respondemus, hanc ipsam infinitam Dei sapientiam et bonitatem esse normam et regulam Probabiliorismi; nam ipsum lumen rationis naturale dictat, hominem teneri ad assequendam sapientiam, statusque sui perfectionem, in quantum potest, quia tenetur in Deum sapientissimum, et perfectissimum tanquam finem suum ultimum tendere; hinc divinus Plato in Phaedone apud Clarke T. 2. de la Relig. naturelle Chap. 11. *Si haberi non possit in his rebus certitudo, illud oportet sequi, quod omnibus perpensis probabilius videtur, et secundum hoc vitae nostrae cursum dirigere, ita homo sapiens facere debet.* vide quoque dicta §. 56. iam vero, quomodo prudentem, ne dicam sapientem dicemus illum, qui scit suam in Deum semper tendendi obligationem, quam ipsi non iam sola ratio, sed et religio promulgavit, et nihilominus id non agit, quod aut sapientius aut perfectius iudicat? qui Deum sapientiae ut Authorem, ita et Praeceptorem propriae suae libertati postponit? qui eligit eam sententiam, ubi respective maius; prae illa, ubi respective minus est errandi periculum? S. Chrysostomi, aliorumque SS. Patrum doctrina est, quam certe non negabunt probabilismi fautores, nos omnes, cuiuscunque status aut conditionis simus, quamprimum in statu naturae elevatae constituti fuimus, villicos esse caelestis Patrisfamilias non ad abscondendum talentum nobis concreditum, sed ad negotiandum,

dum, non ad proprium tantummodo *usumfructum*, sed ad *usuram* et *lucrum* deputatos, qui Domino revertente rationem debebimus reddere villicationis; hinc illud: *negotiamini dum venio*; hinc severum illud, *de ore tuo te iudico serve nequam! sciebas, quod ego homo austerus sim, tollens, quod non posui, et metens, quod non seminavi, quare ergo non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* hinc econtra laetum illud: *euge serve bone et fidelis* etc. iam quaerimus, an ille, qui scit se ad negotiandum obstrictum esse, sapienter agat, si prater alia talenta tam naturalia, quam supernaturalia etiam *libertatem* ita impendat, ut eam quidem male agendo non dissipet, sed conservet, interim tamen ad lucrificandum non adhibeat, nec illa utatur ad id faciendum, quod melius, quod tutius, quod probabilius est? servus ille, qui talentum sibi concreditum servavit in sudario, non fuit obiurgatus, quasi dissipasset bona Domini sui, aut libertatem faciendo mala dilapidasset, sed quod eam non dederit ad usuram, quod *plus* exinde non sit lucratus, verbo, quod id non fecerit, quod in concursu, dataque occasione agnovit melius et utilius esse; *sapiens* est ille Paterfamilias, qui vult habere servos non tantum non noxios, sed utiles, non tantum tales, qui non delinquant, sed, qui suo Domino fructificant; ergo et solus ille servus est *fidelis* et *prudens*, qui fidem datam, ad quam ex iustitia obligatur, observat, qui prudenter, id est, conformiter sui Domini voluntati operatur, qua praecipitur: *negotiamini*; si bona, quae habemus, ex nobismet ipsis forent, libertas propria foret in possessione, sicque vestimentum vilius, ut Chryso-

stomus

stomus loquitur, cariori etiam pretio possemus emere; quoniam vero nihil habemus, quod non accepimus, quodque non accepimus *ad negotiandum*, prorsus *insipienter* agimus, imo sapientissimae voluntati resistimus, si data occasione, nempe in concursu duarum opinionum, de lucro faciendo, de re meliori nihil solliciti, sumus contenti, si positivum quoddam damnum non patiamur.

§. LXI. Bonus est Deus, id quotidie experimur, at simul etiam est austerus, id enim Christus ^{nec non conceptus bonitatis divinae.} *bonitas infinita* ipse non negat; unde non minus *bonitas infinita praesumptionem*, quam infinita *iustitia* excludere *desperationem* debet; si solam Deus voluit erga homines ostendere bonitatem, si clementiam solam? ad quid ergo *rigorosa* a proprio filio satisfactionem exegit? an tantus rigor clementiae divinae congruit? si solam bonitatem voluit hominibus manifestare, cur ergo non latam, non commodam, non mollibus stratum pulvillis, sed *arctam* nobis ostendit viam? PAULUS, qui toties infinitam erga nos homines bonitatem, et aeternam, qua nos dilexit, charitatem depraedicat, nullibi tamen *gloriosum* solummodo, sed potius *crucifixum* praedicavit Christum; nusquam ad bona tantum, sed ad *meliora* suos fideles exhortabatur *charismata*; divina *bonitas* in eo maxime resplenduit, quod hominem lapsum denuo vocaverit in *admirabile lumen suum*, cur non autem in *Paradisum* denuo, unde exciderat, sed ad *spinas et tribulos* vocavit? nunquid melius nobis ibidem, quam hic fuisset? Cain et Abel obtulerunt Omnipotenti munera, ille *bona*, sed iste *meliora*, cur ergo Deus non ad bona, sed ad meliora respexit, imo illa reiecit, suscepit ista? nunquid et Saul probabilibus,



imo piis et sanctis ducebatur motivis, ut optima quaeque Amalecitarum spolia Deo in hostiam Evharisticam immolaret, adeo strictum Dei praeceptum non esse putans? et tamen propter inobedientiam (non ob minorem perfectionem) est reprobatus? nunquid *prudens* videbatur dives ille Luc. 12. qui cogitabat intra se dicens: quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? et dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, et maiora faciam, et illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animae meae: anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. quid ergo mali fecit, dum nonnisi prudentem et providum egit oeconomum, dum nulla lex prohibens aderat, dum sua, qua praeditus erat, usus est libertate? et tamen a Christo vocatur *stultus*, quia non fuit in Deum dives. ergo tantum abest, Christum docuisse Probabilissimum (prout quidam exorbitantes Probabilistae sub Regimine s. m. Clementis XIII. docere sunt ausi, qui tamen hac in re nullatenus Clementem *sensere* Iovem) ut potius stultos dixerit, qui non sunt divites erga Deum, qui potiora suae libertati, minora Deo adtribuunt; ac tandem summa Dei bonitas in dilectione consistit, qua nos ab aeterno dilexit, quamque vicissim a nobis non tam expectat, quam exigit, et iure petit; qualis autem illa? diliges, inquit Math. 22. Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua! quis autem ex ambobus legem istam observat? an, qui magis erga suae mentis, voluntatis et libertatis possessionem affectus est, quam erga Deum praecipientem? an vero, qui Deum

diligit,

diligit
in co
bonit
juave
color
te co
dilat
abste
super
lia v
uno
IAS
et m
TE
ET
Si p
men
salut
cord
sed i
conf
demo
cut l
filiis
more
bonu
to no
minu
minu
nus
leve
dat,
liber



diligit, non solummodo *quantum vult*, sed *quantum*
in concursu legis et libertatis *potest ac debet*?

§. LXII. Magnam potius iniuriam divinae ^{nam iu-}
bonitati faciunt Probabilistae, dum *iugum* eius ^{gum Christi}
suave, et *onus leve*, tam horribilibus depingere solent ^{suave est,}
coloribus, ut viri etiam cordati, nisi de rei verita- ^{et onus le-}
te convicti essent, a via mandatorum Dei, quam
dilatato tamen corde se cucurrisse testatur David,
absterreri possent; *Leo*, inquit, *est in via*, et in-
superabiles difficultates; Probabilioristae imortabi-
lia vobis imponunt onera, quae fors nec ipsi vel
uno digito volunt tangere. Sed quid ad haec ISA-
IAS cap. 3. *populum meum exactores sui spoliaverunt,*
et mulieres dominatae sunt eis; Popule meus! QUI
TE BEATUM DICUNT, IPSI TE DECIPIUNT,
ET VIAM GRESSUUM TUORUM DISSIPANT.
Si Probabilistae bonitatem divinam hominibus com-
mendare velint, eam commendent, quae datur ad
salutem, non terribilem illam, qua homo desideriiis
cordis et libertatis suae relinquitur; *bonus est Deus*,
sed ita bonus, sicut bonus dicitur amicus ille, qui
constitutis in bivio non amaenorem, sed securiorem
demonstrat viam; *bonus est Deus*, sed ita bonus, si-
cut bonus dicitur Pater ille, qui solos eos pro suis
filiis agnoscit, quos filiali magis amore, quam ti-
more fervili animatos novit; *bonus est Deus*, sed ita
bonus, sicut bonus dicitur ille Medicus, qui aegro-
to non adhibet medicinam, quae magis arridet, et
minus displicet, sed, quae magis prodest, etsi fors
minus placeat; *bonus inquam est Deus*, sed ita bo-
nus, ut *iugum* nobis impositum suis humeris sub-
levet, et *viam arctam* suis vestigiis suaviorem red-
dat, sicque a nobis exigit pensum *charitatis*, non
libertatis.

§. LXIII.


Argumen-
tum quar-
tum ab ig-
norantia le-
gis ductum.

§. LXIII. Quartum Probabilistarum argumen-
tum ex iure tum sacro, tum profano deducunt;
nempe „legem non satis notam ac promulgatam,
„maxime si accedat ignorantia vinci nescia, obligan-
„di vim non habere, qualiscunque demum illa lex
„sit, seu positiva, seu naturalis; est enim lex sine
„promulgatione debita, fulgur sine fulmine, apis
„sine aculeo, vagina sine gladio; hinc Iurisperiti
„omnes promulgationem legis vel tanquam partem,
„vel certe ut conditionem necessariam requirunt,
„ut lex ipsa quemquam possit proxime obligare;
„notitia vero legis ex eius promulgatione pendet,
„et velut partus ventrem sequitur; si ista desit,
„oritur ignorantia legis, quae, si post factam debi-
„to modo indagationem non tollatur, dicitur, et
„est invincibilis; quae, quod a peccato excuset,
„denuo certum est ex propositione ab Alexandro
„VIII. damnata num. 2da: *tametsi detur ignorantia*
„*invincibilis iuris naturalis, haec in statu naturae*
„*lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato for-*
„*mali.*“ haec Author ingenuus pag. 203. et seqq.
qui, postquam Probabilioristarum responsum retulit,
set, nempe, in dubio praesumptionem stare pro
lege potius, quam pro libertate, subiungit „mag-
„na ad speciem difficultas, sed, si cortex frangatur,
„parum inest nuclei.“

Refellitur
ex rationi-
bus theolo-
gicis.

§. LXIV. Sed videamus, an in mox dato Pro-
babilioristarum responso parum intersit nuclei! nos
ignorantiam legis non sumimus pro mera legis
nescientia, imo facile damus, in conflictu duarum
opinionum semper intercedere aliquam cuiusdam le-
gis notitiam; at vero eo ipso ex capite impugna-
mus, et impugnavimus hactenus Probabilismum,
quod

quod nempe stante cuiusdam legis ad obpositum obligantis dubio, *praesumptio* semper *pro lege*, quae nec falli nec fallere potest, et quam sequens nunquamnon prudenter, atque moraliter certe, secureque agit, non autem *pro libertate* fallaci, quae toties iam decepta fuit, quae tot iam homines irreparabiliter decepit, quaeque proin exiguam, ac fere nullam spondet securitatem, *stare debeat*. neque etiam requiritur, ut lex obposita certo mihi nota, et sufficienter sit promulgata; satis est, me probabiliter iudicare, aut rationabiliter suspicari, aliquam legem cum libertate concurrere; nam in tali casu semper sum certus, me contra legem non agere, hoc ipso, quia operor iuxta illam, utut mihi sufficienter non promulgatam; dum econtra in hoc rerum discrimine agens iuxta libertatem, semper in me fundata formido maneat, ne me ipsum *periculo* exponam, contra legem agendi, quod periculum utique Probabiliorista non subit, dum iuxta legem operatur. Quod argumentum etiam procedit in eo casu, ubi rationes ex utraque parte sunt aequae probabiles, ita, ut prudenter quidem iudicare possim: *haec lex est lata*, ita tamen, ut perpenſis etiam obpositae partis motivis prudenter iudicare videar: *haec lex non est lata*; nam et in hoc casu dubium istud in favorem legis, non libertatis deponendum esse, quivis iudicabit, qui non *parcus*, sed *dives in Deum* est, ne a Christo dicatur *stultus*, dum se putat prudenter agere; supremo quippe illo dilectionis mandato non ad servilem, sed ad filialem Dei amorem obstricti sumus, a qua lege sese certe non eximent libertatis Patroni; iam vero, qui dubitans de voluntate Domini, suae potius voluntati conformiter agit, eamque



que praefert sui Domini voluntati, non utique filius, sed servus est, et servus quidem inutilis et nequam, quia, ut supra diximus, suae potius commoditatis, quam obligationis fuit studiosus; verbo: ad eum amorem erga Deum obstricti sumus, qui *foras mittit timorem*, id, quod in Probabilismo nunquam continget.

Hinc et
exemplum
de circum-
stantiis ad-
gravantibus
in S. Tribu-
nali expo-
nendis

§. LXV. Nihil tamen viro timorato et veritatis potius, quam, de tot lapsibus suspectae, libertatis amanti maiorem potest movere nauseam, quam toties a Probabilistis recocta, et ab Authore etiam nostro pag. 208. prolata *crambes de circumstantiis intra eandem peccati speciem notabiliter adgravantibus, an ex praecepto in confessione sint exponendae?* in qua quidem quaestione lubentissime admittunt, sententiam *adfirmativam* si non probabilior, saltem longe securiorem, tutioremque esse; contendunt nihilominus, ex defectu legis ad *adfirmativam* nos obligantis, etiam *negativam* vere ac theologice probabilem esse, quia S. THOMAE, S. BONAVENTURAE, S. ANTONINI, et plus quam QUINQUAGINTA QUATUOR aliorum probatissimorum Authorum, quos vel unicus DIANA citat, nititur autoritate; ut nil dicamus de novioribus Probabilistarum cohortibus, quos magno numero citat la Croix, Busenbaum etc.

Probabilis-
mo non pa-
trocinatur.

§. LXVI. Sed respondemus *imo falsissime* subponunt Probabilistae, non existere legem aliquam sat clare promulgatam, ubi praecipitur, huiusmodi circumstantias in S. Tribunali exponendas esse; nam imprimis levissimam ostendunt se habere conscientiam, et in continuo peccandi periculo versantem, qui



qui in re tam gravi, unde pendet animae salus, et valor Sacramenti non tam agunt ex rationabili voluntate, quam aguntur potius, et compelluntur necessitate; deinde vero *lex naturalis* iubet, ut in rebus animae nostrae salutem spectantibus eligamus tutiora, et pericula fugiamus, id, quod in homine corporaliter aegroto vel ipsimet admittunt, et praecipiunt Probabilistae; nunquid autem aegroto *lex* alia, quam *naturalis* est posita, nunquid haec sufficienter omnibus est promulgata, et sola sufficeret, ut vitemus periculosa? si autem ratio, si *lex naturalis* tantam corporis, minorem certe non aget animae curam. Sed nec deest *lex positiva divina*; Christus enim instituens Paenitentiae Sacramentum, illud per modum iudicii, et quidem talis instituere voluit, ubi non iam de corporis, vel bonorum temporalium, sed de perpetua animarum salute, aut infelicitate tractandum est; concedunt autem Probabilistae, ubi ex una parte adest *ius interrogandi*, ex altera parte *obligationem respondendi* esse; concedunt ulterius, iudicem forensem habere *ius inquirendi*, etiam in circumstantias, delictum notabiliter adgravantes, ergo a fortiori *ius* istud competit Iudici Sacramentali, quem aliunde duplici lege adstrictum esse ad sequenda probabiliora, omnes fatentur, tum ob *materiam iustitiae*, tum ob *valorem Sacramenti*; si ergo paenitens habet gravem obligationem respondendi Iudici interroganti, habebit etiam ex vi et natura ipsiusmet institutionis gravem obligationem semetipsum adcusandi, etiamsi non sit interrogatus; dum enim homo seipsum iudicare debet, ne iudicetur a Domino, dum actorem simul et reum in S. Tribunali tenetur agere, Leguleiorum subtilitates



nullum habebunt locum. tandem et *lex Ecclesiastica* ignorari non potest; licet enim Concil. Trid. circumstantias intra eandem peccati speciem notabiliter adgravantes non expresse (sicut quam plurima alia non expresse, quae aliunde, et aliis iamiam legibus decisa esse subposuit) satis tamen est, Catechismus Romanum iussu Concilii Tridentini editum, et a PIO V. S. P. Christianis omnibus ad observandum severissime praescriptum expresse determinasse P. 2. cap. 5. num. 48. *Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quae unumquodque peccatum circumstant, et pravitatem valde augent, vel minuunt; quaedam enim circumstantiae adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet; quare haec omnia confiteri semper oportet.* Cum igitur existant, et ignorari non valeant praedictae leges, respondemus 2do, Doctorum auctoritatem, utpote ante legis naturalis atque divinae interpretationem in Concilio Trid. factam scribentium, adeoque pure externam, internis argumentis ex lege petitis merito postponendam esse; praesertim, quod S. THOMAS hac de materia utpote morte praeventus, mentem suam in *summa* explicare non potuerit, in libros autem sententiarum nonnisi commentatorem egerit; quod autem iuniores adtinet, magnam nobis auctoritatem non faciunt.

Propria
Probabili-
starum con-
fessio opti-
ma contra
ipso met
probatio,

§. LXVII. Non diffitetur Author noster ingenuus S. ORDINEM PRAEDICATORUM in capitulo generali anno 1655. celebrato admonit 14. singulis Theologiae Professoribus iniunxisse, *ut nimis animosa extrinsecarum probabilitatum suffragia devitent, et sanae ANGELICI Praeceptoris doctrinae in Moralibus, ubi pressius de salute, et indemnitate ani-*

marum

marum agitur, adhaerere satagant; hoc enim sum-
mopere consonare expressae voluntati SSmi D. N.
ALEXANDRI VII. qui istud universo Ordini prae-
scribi curavit. quod exemplum novissime secutus Se-
raphicus ORDO S. FRANCISCI, pariter suis Theo-
logis sub gravi obligatione et paenis in contrave-
nientes strictis praecepit, ut non audeant opiniones
probabiles relictis probabilioribus aut in schola do-
cere, aut alicubi defendere, aut in praxi usurpare.
Neque etiam diffitetur, A. R. P. MUTIUM VI-
TELLESCUM Societatis suae Praepositum genera-
lem anno 1617. litteras dedisse ad universos inclytæ
Societatis Superiores, ubi: Nonnullorum, inquit, e
Societate sententiae, in rebus praesertim ad mores
spectantibus, plus nimio liberae, non modo periculum
est, ne ipsam evertant, sed ne etiam Ecclesiae Dei uni-
versae insignia adferant detrimenta; omni itaque stu-
dio perficiant, ut, qui docent, scribuntve, minime hæc
regula et norma in delectu sententiarum utantur: tue-
ri quis potest; probabilis est; Authore non caret; ve-
rum ad eas sententias accedant, quae tutiores, quae
graviorum, maiorisque uominis Doctorum suffragiis
sunt frequentatae, quae bonis moribus conducunt ma-
gis, quae denique pietatem alere, et prodesse queant,
non vastare, non perdere; quoniam vero constitutio-
nes, decreta, regulas probe callent de S. Thoma se-
quendo etc. Tandem nec diffitetur, TAMBURI-
NUM in Decalog. lib. I. c. 3. §. 3. n. 5. docuisse:
tunc solum puto, sufficere unum Authorem, tametsi
contra innumeros Authores is doceat, quando idem
est doctus, rem ex professo tractat, firmamque ratio-
nem pro se habet, nec adparet contra ipsum aliquid
convincens; ita Azor. P. 1. c. 17. q. 6. Vasquez P.

2. T. I. D. 62. c. 4. item, ESCOBARIUM autem in Theol. Moral. Princip. Exam- 3. cap. 3. scripsisse: *aliquando unus tantum Doctor gravis admodum opinionem probabilem potest efficere, quia vir doctrinae specialiter addictus haud adhaerebit sententiae cuilibet, nisi praestantis seu sufficientis rationis vi allectus.* denique et hoc, quod, varias propositiones damnatas, v. g. de procuratione abortus, de retentione concubinae, de occisione iudicis, de Iudice pecuniis corrupto, de teste falsi, de filio mortem Patris desiderante, de crimine falso sibimetipso imposito, de causae iniustae Advocato, de Clerico inter horas canonicas aut voluntarie distracto, aut solum officium Pascale recitante, aut biduale officium unica recitatione persolvente, de Monachis item a ieiunio exemptis, etc. docuerint, si non Tamburinus, et Escobarius, saltem Probabilistae docuerint, non negat ingenuus Author noster; imo iam in antecedentibus frequenter fassus est (*en moralem, vere theologicam, ab omni formidine obpositi, et errandi periculo remotam Probabilismi certitudinem*) propositionem aliquam vere ac theologicè probabilem per sententiam summae Sedis omnino in falsam transire posse; Qualis est egregius ille, si Superis placet, *Probabilismi* partus, in Thesisbus *Avisiensibus* a quodam Can. Reg. in lucem natus num. 10. *Probabilismus non tantum benignissimus, legitimus et pius est, verum etiam Christianus, quia Christo summe familiaris.* a CLEMENTE XIII. die 26. Febr. 1761. condemnatus; vide §. 61.

Sed elumbis respon-
sio.

§. LXVIII. Ad haec autem omnia sibi obiecta ita respondet Author noster ingenuus, ut nihil prorsus dixisse, aut obiicienti saltem satisfacisse, nullatenus videatur; vigilantiam quippe superiorum Religio-




ligioforum quoad sanam doctrinam in suis familiis conservandam ipfismet, et merito laudat, quin potius huiusmodi statuta saluberrima, quibus Probabilissimum suum tangi, nequaquam sentit, in PP. DOMINICANOS retorquet; A. R. P. VITELLESCI constitutiones tot subtilibus responsionum ambagibus, tot exquisitis verborum interpretationibus, tot contortis legum explicationibus, tot ingeniosis exceptionum effugiis enervare connititur, ut merito videatur ambiguum, an voluntatem suam Superiorum praecepto, an vero potius claram et manifestam suorum Superiorum voluntatem, Probabilistarum libertati mactare velit; TAMBURINO tandem et ESCOBARIO quasdam quidem, sed non omnes a Praesentato iisdem obiectas propositiones contendit esse adscribendas; Sed quid haec ad nos? satis est, easdem non ex alio, quam ex putido libertatis fonte promanantes aut merito damnatas, aut ab ipsismet etiam Probabilistis, tanquam damnabiles declarari; nam et hic eam regulam observamus: *non QUIS dicat, sed QUID dicatur, attende.*

A P P E N D I X.

§. LXIX. Plurima quidem contra Probabilissimum periculosa hominis libertati plus, quam legibus, et antiquitati catholicae faventem, ab Authore tamen nostro ad Sociorum suorum exemplum tam acriter defensum argumenta potuissimus congerere, nisi amplissima virorum ipsis etiam Probabilistis venerandorum in hanc materiam scripta volumina praescriptas pagellarum nostrarum angustias ab hoc onere liberarent; unum tamen est, quod silentio praeterire nefas duximus, nempe ab Authore nostro ingenuo

P. Concinae solennis retractatio, quam Probabilistae pro se citant,



genuo sententiam quandam defendi, quae, ne dicam tenuiter probabilis, sed manifestissime falsa est, et infelix invidiae soboles, dum P. II. c. I. §. de Origine Controversi. pag. 129. postquam P. DANIELEM CONCINAM contra Probabilistas agentem amarissime fugillasset, inter alia scribit: *Ne dubitare possimus, in quorum gratiam haec scribat* (P. Concina) *ipse digito monstrat passim in suis libris praeter Caramuelem, quem Antesignanum ponit, et paucissimos alios non adeo magni nominis, fere solos Iesuitas, certe ultra triginta, quorum doctrinam Moralem cynice traducit, neque ipsi Suario, Thomae Sanchezio, Lessio, Azorio, Lugoni, Vasquezio, Valentiae, doctrinae ac virtutis spectatae viris, atque Theologis parcat, quorum, uti et aliorum Authorum (QUEMADMODUM IPSE FATETUR, VEL POTIUS FATERI COACTUS EST IN DECLARATIONE, ET SINCERA PROTESTATIONE) sententias, falsas, scandali plenas, erronea commenta, paradoxa, immania, anti-Evangelica passim adpellat. fateor meipsum olim ex fama, nescio undenam veniente, persuasum fuisse, P. CONCINAM, acerrimum illum Probabilismi hostem vel sponte permotum, vel altiori potestate compulsum, omnia illa cum solemnibus, typisque data protestatione revocasse, quaecunque scripserat contra Probabilistas; at nunc gravissime me deceptum sentio, et exhorresco; ne igitur et aliis, praesertim Theologiae moralis tyronibus idem contingat, dum in Authore nostro ingenuo, vel forsan in aliis aliorum scriptis citatam P. Concinae declarationem et sinceram Protestationem legunt, sequentia ex viro clarissimo Dyonisio Sandellio Patavino, de vita et scriptis P. Concinae voluimus adnotare.*



Falsa est,
et iniuriose
conficta;

§. LXX. Quod olim S. HIERONYMO, post
ipsum vero Cardinali NORISIO, egregio illi doctri-
nae Augustinianae vindici contigit, quos, cum Ad-
versarii rationibus vincere non possent, calumniis
onerarunt; hoc etiam P. DANIELI CONCINAE
invicto illi Probabilismi malleo anno 1744. accidit;
quidam enim Probabilistae (Sandellii verba referimus)
» post imploratam Deorum hominumque fidem, post
» fatigata tribunalia, post denique omnem fere Eu-
» ropam adversus Concinam excitatam atque incen-
» sam, quo aliqua, et quidem non levis dedecoris
» nota pio homini inureretur, novo, et non audi-
» to calumniae genere ipsum deiicere pertentarunt,
» quem innumeris iam antea technis, atque cunicu-
» lis prosternere frustra cogitarunt; nam teterrimam
» Palinodiam sub nomine Danielis Concinae edide-
» runt cum diabolica et mendacissima hac inscrip-
» tione: *Rittratazione solenne di tutte le ingiurie,*
» *bugie, falsificazioni, calunnie, contumelie, imposture,*
» *ribalderie, stampate in vari libri da Fra Daniello*
» *Concina Domenicano, Gavotto contro la Venerabi-*
» *le Compagnia etc. in Venezia 1744. appresso Simo-*
» *ne Ochisotto il segno d'Italia, con licenza de' Supe-*
» *riori e privilegio.* “ qui libellus, quamprimum in
lucem prodiit, incredibile dictu, quantas per univer-
sum orbem turbas, anisnorumque; ut fieri adsolet, di-
versa sentientium excitaverit commotiones; plerique
tamen, quibus P. Concinae animus, calamusque vel
a longe innötuit, vix uno alterove lecto §vo, statim
ex ungue Leonem, atque ex ipso libello impuden-
tissimum eiusdem scribillatorem (quiscunque demum
is fuerit) agnoverunt, talem videlicet, cui probabi-
liter licitum esse videbatur, gravissima huiusmodi im-
postura hominum oculis illudere, famamque viri de-

re christiana et litteraria meritissimi petulantissime dilaceratam, veluti hostiam vindictae suae mactare: obstupuit equidem ad inauditum hoc facinus P. CONCINA, seseque ipsum, seipso nescio et invito, revocantem, protestantem, proque venia nescio cuiusnam sceleris in Probabilissimum commissi rogantem, imo sibimetipsi paenas dictantem, atque pedes propemodum Probabilistarum lambentem in hoc libello est admiratus. neque defuerunt viri gravissimi, qui P. CONCINAE tam propudiose tractato Authores fuerunt, ut hanc ipsi irrogatam summam iniuriam scriptotenus a se amoliat, hancque retractationem non se invito tantum, sed et inscio publicatam, pro merito, suaeque famae conservatione perstringat; quid autem vir ille et modestia et mansuetudine magnus in hisce circumstantiis, quae virum alias prudentem concutere potuissent? nihil aliud, quam quod, uti suae doctrinae, ita et famae conservationem summae Sedis Apostolicae iudicio reliquerit; probe gnarus, et frequenti doctus experientia, veritatis genuinae hostes in eam ipsam hucusque cecidisse foveam, quam veritati struxerunt; firmabatur illa S. Hieronymi lib. 3. in Ruff. regula in casu simili data: *voluntatem mentiendi habuit, artem mentien- di non habuit* (protestamur autem, si per haec S. Hieronymi verba Probabilistis faciamus iniuriam) suae igitur existimationis causam vir humillimus BENEDICTO XIV. P. M. cui erat notissimus, totam reliquit; nec sine fructu; MAGNUS enim hic PONTIFEX ut non tantum Personae, sed etiam doctrinae hactenus per P. Concina traditae consuleret, die 17. Iunii anno 1744. confictam illam P. Concinae Palinodiam solemni decreto configi iussit, quod ita sonat:


§. LXXI. FERIA 4ta die 17ma Iunii 1744. S. uti probatur ex decreto Benedicti Papae XIV. Congregatio Eminentiss. et Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalium in tota Republica christiana contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum habita in conventu S. Mariae supra Minervam, de mandato SS. D. N. BENEDICTI Papae XIV. praesenti decreto prohibet et damnat uti **LIBELLUM FAMOSUM** nonnulla folia impressa, quorum titulus: **RITRATTAZIONE** etc. Haec itaque folia sic prohibita, et damnata eadem S. Congregatio de Mandato, ut supra, vetat, ne quis, cuiuscunque sit status et conditionis, audeat ullo modo, et sub quocunque praetextu imprimere, vel imprimi facere, neque impressa apud se retinere, et legere valeat; sed ipsa Ordinariis locorum, aut haereticae pravitatis inquisitoribus statim, et cum effectu tradere, et consignare teneatur, sub paenis in indice librorum prohibitorum contentis.

Paulus Anton. Capellonus S. Romanae, et universalis Inquisitionis Notarius. m. pp.


Die 27. Iunii 1744. supradictum decretum affixum, et publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, et aliis locis consuetis etc.

§. LXXII. Hoc decreto, quo infame illud Probabilistarum condemnabatur mendacium, nec non opusculo quodam, cui titulus: *Ritrattazione ec. Operetta curiosa, che puo servire di supplemento alla Morale prattica de' Gesuiti.* per quendam P. Concinae amicum edito, credens Pontifex, honori et innocentiae P. Concinae sufficienter consultum esse, per suum ad Venetam Rempubicam Nuntium **CARACCIOLUM** eidem nuntiari iussit, ut, ne novum apud Probabilistas excitaret incendium, hac ementitae Palinodiae damnatione contentus, nihil ultra in sui defensionem

mutuisque inter illum, et P. Concinae epistolis.



ederet, utpote quam SS. Hierarcha iamiam in se suscep-
 ceperat; rescripsit P. Concina: *Se nunquam de respon-*
sione famoso libello facienda, multoque minus eo sub ti-
tulo cogitasse; sibi quidem proprii nominis rationem,
quamvis illa quidem negligenda non sit, minus antiquam
esse, at nimis infelicem, atque miserum se iudicaturum,
si eas nondum patientia christiana iniurias perferre didi-
cisset, quae sui personam unice spectabant; Quod vero
ipse Pontifex inlata probra in se velit suscipere (ita quip-
pe scribi mandavit Pontifex) id summae ipsius digna-
tioni, qua se indignum agnoscit, totum adscribere. tum
vero concludit Concina: quodsi nullum aliud mihi ob-
versaretur ante oculos Evangelicae humilitatis exemplum,
hoc solum tanti Pontificis mihi animum abunde faceret,
ad quaslibet iniurias constantissime tolerandas. tum
 pergit Sandellius „ hac Concinae epistola summopere
 „ gavisus Pontifex, data ad ipsum pariter epistola, ani-
 „ mi eius moderationem, rarum humilitatis, et obedi-
 „ tiae exemplum, laudare non dubitavit, atque gratias
 „ quam maximas Deo agendas dixit, quem tot egre-
 „ giorum animi sensuum, quibus Concinae adfluebat
 „ epistola, noverat Authorem- “ atque ita sapientia di-
 vina iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit
 eum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores
 illius, in fraude circumvenientium illum adfuit illi, et
 honestum fecit illum, certamen forte dedit illi, ut vinceret,
 et sciret, quoniam omnium potentior est sapientia, et men-
 daces ostendit, qui maculaverunt illum. Haec veritatis
 amore, atque in gratiam Tyronum Appendicis loco ad-
 iungere volumus, ne harum rerum ignaria quovis ven-
 to doctrinae circumferantur, et quavis probabili
 veritatis imagine decipiantur.



PARS III.

DE

INGENUA INDOLE GRATIAE EFFICACIS.

CAPUT I.

*De ortu, progressu, et exitu Controversiae circa
gratiam efficacem.*

§. I.

In ipso statim partis huius tertiae limine contra ingenuum Authorem excipere cogimur, quod *ingenuam* nobis *gratiae efficacis indolem* promiserit, per totum tamen Partis huius decursum ne quidem *ingenuam*, multoque minus *genuinam* efficacis auxilii supernaturalis ideam, et indolem communicarit; toto quippe §vo I. ubi controversiae huius celeberrimae originem, quam secundum praescriptas Theo-

Idea historica huius controversiae deberet esse ingenua et genuina, qualis tamen non est, illa Molinistarum,

logiae dogmaticae, vel historiae Ecclesiasticae regulas ad S. AUGUSTINI et Pelagianorum tempora referre debuisset, potius refert ad novissima MOLINAE tempora, ad saeculi videlicet decimi sexti occasum; at nempe controversiam hanc non dogmatice aut historice, sed scholastice tantum pertractari desiderat, hinc in praesenti controversia Ecclesiae sensum, Patres, concilia, parum aut nihil curat, probe gnarus, sese longe plura post Molinam, quam ante illum pro sua doctrina invenire suffragia; amplissimas laudes a sociis in socium, a discipulis in Magistrum suum LUDOVICUM MOLINAM iactas eidem non invidemus, multominus ad conciliandam eidem invidiam *Palinodias* effingimus; de hoc tamen merito conquerimur, quod Author noster in enarranda controversiae huius origine, progressu et exitu non genuinum, imo ne quidem ingenuum Historicum agat; dum ea solum, quae sibi suisque sunt favorabilia commemorat, adversantia vero aut silentio premit, aut non sine sarcasmo refert; dum partium suarum studio abreptus proprios, ac plerumque domesticos, unde hauserat fontes ad astra tollit, alienos autem infectos, atque impuros vocat; dum in solum BANNESIUM veluti reliquorum Thomistarum antesignanum invehitur; tacet autem, quasdam Molinae propositiones, quibus lucubrationes suas theologicas resperserat, antequam suum librum de concordia in lucem daret, ab Eminentiss. Cardinale GASPARE QUIROGA, Archiepiscopo Tolentino condemnatas fuisse; dum Fr. Bartholomaeum Ferreira suo nempe Molinae faventem velut sui temporis extollit oraculum; tacet vero, HENRICUM HENRIQUEZ ipsiusmet Societatis insignem Theologum de hac ipsa Ferreira censura scripssisse in sua

contra

contr
batus
maeo
SIM
legent
quibu
tamen
rat)
sibi n
multa
illud
gener
vocat
suam
appen
gatio
tum
oport
que i
linian
Auth

pudic
Doct
que
dicar
an pr
tis vi
Proba
berta
mon
nullu
istam
causa

contra Molinam censura: *liber de concordia adpro-*
batus solum fuit in forma communi a Fr. Bartholo-
maeo Ferreira, cui commissum est; et quod ille CUR-
SIM non advertit, potuit ab aliis MATURE librum
legentibus animadverti censura dignum; dum paucis
quibusdam verbis ex Augustino le Blanc (quem
tamen P. I. inter sublestae fidei Authores coniece-
rat) citatis, ea, quae immediate sequuntur, utpote
sibi minime favorabilia, studiose subticuit, nempe,
multa in Authorem obiecit Dominicus Bannez, atque
illud potissimum, quod proscripta non ita pridem a
generali Castellae inquisitione dogmata recuderet; ad-
vocatus Molina, ut obiecta dilueret, iis responsis fidem
suam liberare tentavit, quae postmodum ab ipso in
appendicem redacta, in celeberrimis Auxiliorum Congre-
gationibus uti Pelagiana damnata sunt. sane qui tex-
tum genuine inchoat, ingenue quoque prosequatur
oportet, ut integra sit veritas, non mutilata; dum-
que inquisitionem Lusitanam tantopere iactant Mo-
liniani, Castellanam non praetereant, quam idem
Author eodem lib. et cap. refert.

§. II. Nec est, cur Moliniani tantopere tri-
 pudient, ipsorum doctrinam apud multos hinc inde
 Doctores, variasque Academias tam facilem, tam-
 que celerem ingressum invenisse; nolim enim diu-
 dicare, an doctrinae huius veritas, an vero facilitas,
 an praescriptio antiquitatis, an vero cupido novita-
 tis viam eidem straverit; cum aequè Molinismus ac
 Probabilismus omnes, quas habet, pro hominis li-
 bertate vires exerat, viamque latam ambulantibus
 monstret, veritas autem et virtus in arduis habitent,
 nullum prorsus erit miraculum, plures illam, quam
 istam sectatores fuisse nactam; neque enim datur
 causa tam miserabilis, quae Patronos non inveniat
 suos;

Qui de il-
 lius fatis in
 Hispania.

suos; imò si totus fere mundus abiret post Molinismum, id nil aliud probaret, quam homines, quia sunt homines, ambulare, non quo eundum est, sed, quo itur.

Et in Congregationibus de auxiliis frustra gloriantur.


§. III. Controversia isthaec Romam perlata **CLEMENTEM VIII.** (cuius animus ab Oratore Hispanico, pariter Molinianis infensissimo, fuisse praeoccupatum, scribit Author ingenuus) ad instituendas *Auxiliorum Congregationes* permovit; qua occasione Author noster omnes avitae doctrinae defensores, ut Melchiorem **CANUM**, Dominicum **BANESIUM**, Franciscum **PEGNAM**, Didacum **ALVAREZIUM**, Thomam de **LE MOS**, aliosque; *Societatis infensissimos hostes, homines praeiudiciis captos, sinistris affectibus abreptos, et ad omne nocendi genus paratos* nominat; ipsum **CLEMENTEM VIII.** utriusque partis censuras ad curiam suam revocasse, interea vero utrique parti silentium, pacem, et charitatem iniunxisse non negat; addit nihilominus „his „cautiores quidem per aliquod tempus effecti (*Do- „minicani*) mox ad ingenium redierunt, nihil non „agentes, ut Pontifici suaderent ne partium disputationes instituantur“ at vero, ne verbulum dicit, eundem **CLEMENTEM** in Brevis Apostolico die 26. Febr. anno 1598. ad Nuntium suum Apostolicum dato eam fecisse inter FF. Praedicatores et Molinianos discretionem, ut illis quidem *tanquam veris D. THOMAE discipulis* concesserit facultatem, hac in materia *sequendi suam sententiam et doctrinam ut antea, sine aliqua limitatione*, seu, uti habetur in Autographo: *Che possano liberamente -- conforme à la Dottrina di S. THOMASO leggere e disputare*, **COME HANNO FATTO PER IL PASSATO.** dum econtra facultati PP. Societatis in hoc Brevis concessae

fae
L/ri
SEC
TR
tare
thoi
sula
tem
didi
mo
inla
pra
min
eos
nica
pub
lib
cur
tran
se
Do
rian
qui
„c
„P
„a
fati
pro
adi
fide
rita
CL

saec illa fuerit adiecta clausula: *Che possiamo ancora*
Essi leggere è disputare della medesima materia, IN-
SEGNANDO PERO SANA E CATTOLICA DOT-
TRINA. i. e. quod et ipsi possint legere, ac dispu-
 tare de hac ipsa materia, ita tamen, *ut sanam et ca-*
tholicam doctrinam tradant. Per hanc quippe clau-
 sulam sese in suspicionem fuisse tractos, quasi hac-
 tenus sanam, atque catholicam doctrinam non tra-
 didissent, videntes Moliniani, omnem potius ipsi
 movere lapidem, fatigare tribunalia, iniuriam sibi
 inlatam conqueri, et contra physicam Thomistarum
 praedeterminationem insurgere; ut adeo non de Do-
 minicanis, sed de suis potius Sociis debuisset dicere,
eos ad ingenium rediisse. quod autem referat, Domi-
 nicanos impedivisse, ne Pontifex desuper instituat
 publicas utriusque Partis disputationes, id sine te-
 stibus, sine tabulis, sine die, et Consule refert;
 cum potius ex toto lib. I. Augustini le Blanc con-
 trarium ostendatur; imo monstrat ingenuus Author,
 se verborum suorum haud esse memorem, dum hic
 Dominicanos arguit, quasi timerent Romanam cu-
 riam, pag. autem statim praecedente nempe 271. in-
 quit „ omnem operam suam in id contulerunt, ut
 „ causam totam ad Romanae inquisitionis tribunal
 „ pertraherent, ubi probe sciebant, quam potentum
 „ amicorum niterentur suffragiis. “

S. IV. De PRIMA CONGREGATIONE non
 satis est, retulisse, ipsummet Papam *pauca quaedam*
praefatum de natura et momento negotii, omnesque
adhortatum fuisse, ut suo quisque munere sedulo, et
fideliter fungeretur; potuisset enim sine iniuria ve-
 ritatis, imo pro integritate historica debuisset addi,
CLEMENTEM VIII. tribus potissimum rationibus

Uti con-
 stat ex ora-
 tione inam-
 gurali,



permotum fuisse, ut futuris auxiliorum Congregationibus in illa oratione inaugurali S. AUGUSTINUM tanquam Lydium Lapidem proposuisse; Prima erat, quod S. Prospero teste iam tunc Ecclesia, Duce Augustino pugnaverit, et vicerit; altera, quod Augustinus in suis libris nihil eorum praetermiserit, quae ad praesentem controversiam finiendam conducunt; postrema, quod S. Augustini doctrina iure quasi haereditario a suis Antecessoribus ad haec usque tempora sit propagata.

aliisque
gestis Cle-
mentis
VIII.

§. V. Prosequitur Author: CLEMENTEM VIII. ab initio controversiae parum favisse Molinae, quin etiam praeoccupato nonnihil animo ad disputantium caetus accessisse, utpote cui assidue a latere haerebant, Cardinalis Asculanus, Franciscus Pegna, ipseque Regis catholici tunc temporis Orator, Societati infensus; neque adhuc ex animo eius absterisa fuisse praeiudicia, quae ex maxima Consultorum parte Molinae constanter infesta conceperat; postmodum autem et Cardinalis Perronii monitis, totque Academiarum testimoniis, totque datarum responsionum ponderibus aliquanto mitiorem fuisse factum, imò controversiae tandem ventilationem in seipsum, atque in favorem quidem Molinianorum suscepisse, huic autem negotio immortuum fuisse. ita nempe Pontificem de sinistro prius in Molinianos affectu adcusatum denuo excusat benignus Author; verum potiora prostant, de Pontificis huius ad mortem usque constantia, quam in debellando Molinismo nunquamnon, quoad vixit, exhibuit; praeterquam enim, quod ridiculum sit asserere, Pontificem a Cardinali PERRONIO per ea verba leviter iactata: *Fore: ut Haeretici nostri temporis definitioni eius ultro subscri-*
bant,

bant
a dan
de S
BEI
perm
spon
effet,
totur
P. C
fueri
omne
mitte
moni
lorur
volu
com
eund
quan
Sede
objeq
que
gotie
de m
Mol
logia
tidie
per
mias
item
a pr
tius
dum
P. C

bant, si doctrinam Societatis de gratia damnaret; a damnatione deterritum fuisse, mitiusque deinceps de Societate sensisse; cum tamen nec a Cardinali BELLARMINO, longe maioris authoritatis viro, permiserit se a sententia dimoveri, quin potius responderit: se cum Lovaniensibus sentire, sique opus esset, pro S. Augustini sententia mori velle; imo ne totum quidem Molinianorum exercitum timuit, etsi P. Claudius AQUAVIVA omnium nomine minatus fuerit, fore, ut Pontificiam definitionem Academiae omnes contemnerent, novoque discrimini Ecclesia committeretur; accedit ipsorummet Molinianorum testimonium, qui, nisi causae suae timuissent, tot libellorum supplicum oblationibus, tot responsionum involucris, tot comparatis Regum, Principumque commendatitiis, tot etiam minis Pontifici intentatis eundem adeo non defatigassent, ut Pontifex ipse aliquando, laudata prius FF. Praedicatorum erga S. Sedem submissione cum gemitu dixerit: eandem se obsequii fidem in Molinianis vehementer desiderare; seque sat clare perspectum habere, eosdem velle huic negotio moras iniicere, conantes mihi timorem incutere de magnis turbis inde orituris, si censuram adversus Molinam emittam, ante auditas omnes illorum Apologias; cum tamen iam per duos integros annos quotidie illos audiverim, imo voluerunt, et Authorem per sese audiendum, consulendas totius orbis Academicas, quin etiam Concilium generale indicendum. item, si suae causae nihil timendum erat, cur ergo a primaevo systemate Moliniano recedendum, potiusque deinceps mitigatum paulisper systema tenendum esse iudicarunt, publicisque decretis iusserunt: P. Claudius AQUAVIVA die 14. Decembris 1613.

P. Mutius VITELLESUS die 17. Jun. 1616. P. PICCOLOMINEUS tempore nonae Congregationis generalis anno 1651. celebratae? Haec autem a nobis non conficta, sed ex Augusto le Blanc, seu P. Hyacintho Serry desumpta eo minus inficiabitur Author noster, quo minus eidem inficiamur, ipsum omnia sua ex historia P. Levini Meyer desumpsisse, cum ille non magis Augustinianis atque Thomistis faveat, quam iste Molinianis; si denique sub CLEMENTE VIII. nihil infausti Molinianis timendum erat, cur ergo ipsi etiam his adhuc temporibus passim de illo Hierarcha scribunt, *eundem malo in Societatem animo fuisse? ab Hispanis in Praedicatorum gratiam circumventum fuisse? minus pro dignitate argumenti fuisse peritum? in systemate Moliniano, et scientiae mysteriis non satis edoctum fuisse?* haec nempe communis illorum exceptio, qui causa cadunt.

Omissis
aliis Molinianorum
relationibus,

§. VI. Ad ea, quae Author ingenuus §. 2. et 3. de materiis coram CLEMENTE VIII. et PAULO V. pertractatis, de historia MS. Concilii Tridentini, soli NB. Bellarmino monstrata, de Congregationum exitu, de Molinismi indemnitate, seu praetensa adprobatione, de Bulla Sixti V. contra Lovanienses emanata, rebusque aliis huc spectantibus profert, non est, cur de novo respondeamus, cum aut P. I. hisce iam sit responsum, aut in Theorematis nostris ante annum editis desuper ventilatum fuerit.

Respondetur
ad illam
imprimis
iuris regulam,
Actore non probante etc.

§. VII. Quod autem illud iuris effatum: *Actore non probante reus absolvitur*, pro se adducant Moliniani, absque animadversione non potuimus dimittere; an enim pueris haec scribunt, an litteratis?
illi

illi facile credent omnibus a Magistro adsertis, et innocua illum caecitate sequentur, quin libello typis impresso indigeant; isti autem sese graviter offensos conqueruntur, quod adeo clara iuris effata, in malevolum adeo, reprobumque sensum trahantur; paulo ante Moliniani fatebantur, se *non actores*, sed *adversarios* apud Curiam fuisse, dumque sub hoc nomine contra suos Actores conquesti sunt, nunc *iudices* agunt, dicuntque, suos adversarios in illis congregationibus *probasse nihil*; si nihil probare poterant, cur adeo *Clementem sensere Iovem*? cur tam patenter, tamque solemniter in suae doctrinae possessione *non iam tolerando*, sed *positive*, ut vidimus, *laudando* sunt adprobati? cur nulla ipsis doctrinae *moderatio* iniuncta, nullaque unquam in illos *censura* a Iudicibus lata? PP. Dominicanos fuisse delatores, denuntiatores, adversarios et actores Molinianae doctrinae *per Hispaniam adhuc serpentis et Lusitaniam*, antiqua est et communis Molinianorum querela; si ergo nulla fuerunt illorum argumenta, si non graves Actorum rationes, cur ergo dignae fuerunt habitae, ut in ipso *Hierarchiae Ecclesiasticae* centro expenderebantur, et ita quidem expenderebantur, ut in extremum sese discrimen perductos fuisse ipsimet per sua lamenta fateantur Moliniani? cur suis adversariis (*quorum argumenta gravissima in Congregationum fastis cuivis proponuntur legenda*) non responsiones in forma, et solide datas, sed AUGUSTINI textus malevole corruptos, dilationes, effugia, supplicationes, aliena Patrocinia, imo minas et terrores repofuerunt? sed ponamus (quod omni tamen historicae veritati repugnat) ab Actoribus nihil probatum fuisse; an propterea sese *victores et absolutos*

iactare poterunt Moliniani? quis hoc unquam rationis compos, ne dicam iuris peritus unquam somniaverat? legitur C. 6. q. 5. cap. 2. *Accusator, quod asseverat probare se non posse profitendo: reum necessitati monstrandi contrarium non adstringit, cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit.* legitur etiam Tit. 12. de caus. posses. et proprietat. cap. 3. fin. *Actore non probante, qui convenitur, et si nihil praestiterit, obtinebit.* legitur denique in Cod. L. 4. Tit. 19. cap. Actor. *Actor, quod asseverat etc. ut supra.* at nusquam legitur, Actore non probante hoc ipso reum vincere et absolutum iam esse, antequam sententiam Iudex pronuntiet; cur autem non pronuntiaverit? non in probationum defectu, sed in Venetis suis tabulariis invenient Moliniani.

Dein ad
Bullam Innocentii X.

§. VIII. Bullam INNOCENTII X. toties iam recoctam non nobis, sed sibi potius obiciant Moliniani; ipsi enim non tantum istam, sed et plurimas alias contra ipsos in specie emanatas (quas provocati enumerare possemus) iam saepius eluserunt; id solum ex Molinianis quaesivisse sufficiat: ubinam Pontifex licentiam dederit, citandi Congregationum acta per P. LEVINUM MEYER conscripta? vel utrum alia tantummodo? legant Bullam ipsam, suasque responsiones credant et nostras esse; de caetero non videmus, undenam P. Levinus Meyer, qui longo utique post habitas illas Congregationes tempore vixit et scripsit, maiorem hac in re fidem promeatur, quam Franciscus Pegna, Coronellus, P. de Lemos, Cardinalis Madrutius, Iacobus de Bossu, aliique, qui auriti et oculati testes Congregationibus interfuerunt? praesertim, cum SHERLOGUS (sub nomine Pauli Leonardi latens) P. Levino Meyer longe



longe antiquior, nihilominus P. I. sect. 4. n. 21. fateatur: *licet, qualis extiterit minutatim publici examinis censura, prorsus ignoremus, quia originalia acta consulere non licuit, tamen, si ex effectibus, et fama divinandum est, magna spes est, lata tum suffragia pro scientia media; risum teneatis amici! et P. HENAO, qui viginti circiter annis post habitas illas Congregationes intravit Societatem, et ipse in 1. Prot. ad scientiae med. Theol. defens. n. 62. testatur: Acta conscripta in favorem nostrum nulla extant, sed solum orationes seu declamationes recitatae a Valentia, Arrubale, et Bastida super punctis praescriptis a CLEMENTE et PAULO.*

§. IX. Omissis caeteris levioris notae velitationibus inter Praesentatum, et Authorem nostrum subortis, scopoque nostro nullatenus convenientibus, ipsiusmet ingenui Authoris verba ad calcem cap. I. posita pro nobis usurpamus „Haec omnia lumbens silentio involvissem; (non enim illustrissimo Ordini, quem maxima veneratione dignum semper censuimus, tanquam corpori imputare, animus est, quae pauca eiusdem membra sinistro in nos affectu peccant) si non novi recentesque itentidem milites velut ex equo Troiano prodirent, ad incendendam Troiam.“ fatum autem Troianum nec nobis, nec aliis auguramur.

et fit conclusio.

§. X. Quoad illa, quae Author noster ingenuus cap. II. §. 1. contra gratiae actualis definitionem, quod sit: *Qualitas physica, distincta realiter ab operatione, et ad eam physice praedeterminans.* in medium profert, eatenus amicam praebemus manum, quatenus et nos, quemadmodum in aliis, ita

Natura gratiae nec a Peripateticis, nec a Molinianis recte explicatur,

et

et in hac praeprimis materia huiusmodi qualitibus physicis, seu entitatibus pro explicando systemate nostro non indigemus; hinc neque praedeterminationis physicae in rigore scholastico, neque accidentium absolutorum, neque aliarum huiusmodi qualitatum physicarum Patronos nos esse, iamiam P. I. §. 26. contestati fuimus; hoc solum ibidem tuebamur, etiam stante physica qualitate aut praedeterminatione libertatem humanam nullatenus pessumire, de qua loc. cit. non autem possumus consentire Authori nostro ingenuo, dum de gratiae efficacia pag. 302. scribit „Quodsi vero illa salubri cogitatione, affectioneque excitati et adiuti, libere ac „efficaciter pergimus amare, amplectique illud bonum, dicimur consentire auxiliis divinis; atque „tunc fiunt efficacia, et referunt fructum, aliud „quidem trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, pro nobilitate scilicet, constantia, fervore, ac efficacia actuum, qui ex divino illo semine (voluntate tamen nostra, quod suarum virium est, quasi symbolam conferente) enascuntur.“ quamvis enim admittat gratiam in tali homine, eam tamen a priori illa inefficaci non aliter: ac *per effectum* distinguit, et quidem per talem effectum, qui a Deo nonnisi remote, proxime autem a voluntate humana pendet, ut puta cuius erit, bonam illam cogitationem, adfectionemque aut consensiendo efficacem reddere, aut negligendo, vel etiam dissentiendo relinquere inefficacem; nec admittit, consensum ipsum, uti AUGUSTINUS constanter docet, a Deo esse, sine quo nihil omnino fieri potest; consequenter iuxta Molinianos voluntas est, quae Deum vocantem, suadentem, allicientem eligit, atque hac sua

sua e
xager
quit,
facia
quia
mur,
ex ef
minis
ciliis
gratia
ex n
tuum
quod
riari
discer

Deus
quide
nostr
quaq
nui
ria;
SS. I
intern
in ali
nam
tactu
piatu
etiam
telles
tem,
illud
inpi

sua electione fructum nunc trigesium, nunc sexagesimum facit, dum econtra Christus: Ego, inquit, *elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum faciat;* nec hac ratione gratia ideo esset efficax: quia *facit, ut in mandatis eius ambulemus, et operemur,* ut ait Scriptura, sed fieret primum efficax ex effectu, cuius non tam ipsa, quam voluntas hominis est causa, quod autem invitis Patribus, Conciliisque adseritur; denique, si maior vel minor gratiae efficacia, si maior vel minor fructuum copia ex nobilitate, constantia, fervore, ac efficacia actuum humanorum desumeretur, iam haberet homo, quod non accepit, si autem non accepit, iam gloriarı posset, quod seipsum, contradicente Apostolo, discernat.

§. XI. Paritas, quam adducunt de Sole, quem Deus oriri facit super bonos et malos Math. 5. qui quidem omnes aequaliter, sed ita illuminat, ut in nostra sit potestate, oculos aperire vel claudere; nequaquam nobis aequa videtur, imo ipsiusmet ingenui Authoris explicationi paulo antea datae contraria; dixit enim pag. 298. gratiam consistere iuxta SS. Patrum doctrinam *in delectatione, inspiratione, interna vocatione, et illuminatione*, et consequenter in aliqua tum intellectus, tum voluntatis motione; nam Concil. Trid. Sess. 6. cap. 5. requirit in adultis: *tactum cordis humani per illuminationem, et ut recipiatur ab homine inspiratio*; ergo de natura gratiae etiam sufficientis est, ut influat aliquo modo in intellectum, eundem illustrando; ut moveat voluntatem, eandem delectando; ut cor humanum tangat, illud vocando; ut recipiatur in homine, eundem inspirando; iam vero Solis natura non est, ut cae-

Paritas de Sole videtur insufficiens ad quid probandum.

cos etiam oculos illuminet, ut voluntatem nolentem ad aperiendos oculos permoveat, ut cor hominis lucifugum lucis amans efficiat, ut hominem ipsum intrinsece tangat; nisi Author ingenuus velit admittere, gratiam sufficientem (quo nomine generalem illum concursum, seu Molinianum versatile auxilium, *sine quo non*, haud obscure insinuat) aequae ac lumen Solis, sese tantum extrinsece, occasionaliter, et obiective, non vero intrinsece, casualiter et subiective ex parte hominum tenere; ita, ut in cor hominis tam parum agat, quam parum Solis lumen in organum visus; huiusmodi autem gratiam extrinsecam in synodo Diospolitana professus etiam est Pelagius, et non negarunt Semipelagiani.

Nec Moliniani, nec Congruistae

§. XII. Quodsi autem gratia *inefficax* comparative, atque in ordine ad gratiam subsequentem *efficacem* sumatur, tunc longe adhuc magis contra doctrinam SS. Patrum impingunt Moliniani; nam prout ex Genesi gratiae ab Authore nostro descripta patet, nullum Molinistae discrimen inter statum naturae integrae ac lapsae faciunt, sed potius cum suo Molina easdem in utroque voluntatis humanae vires naturales subponunt; huic adsertioni, tanquam totius Molinismi fundamento, aliam superimponunt, videlicet, gratiam ex meritis Christi hominibus ita aequalem, et per sese sufficientem dari, ut ad effectum actu ponendum nihil iam amplius ex parte Dei, sed solus humanae libertatis consensus, in scientia media praevisus, requiratur; quo posito, eadem ipsa gratia, quae antecederet ad istum consensum ex natura sua tantum fuit *sufficiens*, per ipsummet consensum *efficax* redditur; sicque inter Augustinianum illud

illud *auxilium sine quo non*, statui naturae adhuc salinae proprium, et inter *auxilium quo*, iam infirmatae naturae nostrae necessarium, nullam faciunt distinctionem; et quamquam Suarezius Molinianum illud primaevum systema, quod vel ipsis etiam Societatis Primoribus nimis durum videbatur (§. 5.) per systema *circumstantiarum congruarum* temperaverit, fatentur tamen Moliniani, Molinianum systema *quoad substantiam* omnino etiam in systemate Suareziano servatum, ac nonnisi *quoad methodum* et *explicationem* immutatum fuisse; ut adeo iniuriam faciant aut Molinae ipsi, si doctrinam non servant, aut sibi metipsis, si Molinae nomine adpellari non velint, quicunque antiquos inter et novos Molinianos (*congruistas* intelligo) admittunt intercedere notabilem distinctionem; praesertim, quod hi non minus, quam illi, quoad explicandam gratiae sufficientis naturam ex asse convenient.

§. XIII. Ut autem clarius adhuc pateat, quam longe systema non modo antiquorum, verum etiam modernorum Molinistarum distet a genuina S. AUGUSTINI doctrina, placeat ipsummet percipere Authorem ingenuum pag. 303. dicentem: „ut
 „ rem paucis complectar; est gratia aliquando efficax, quando nempe homo illi liberum praebet accessum, vires suas illius viribus, praevenientibus
 „ tamen, iungit, eaque utitur in rem suam, seu propriam salutem, dicens cum Apostolo Act. 9.
 „ Domine, quid me vis facere? aliquando autem divina haec gratia non est efficax, nempe si homo
 „ salutare huic hospiti velut fores claudit, eiusque virtuti et efficaciae obicem sponte ponit, uti con-
 „ queritur Paulus ad Rom. 10. *sed non omnes obe-*

nec Autho-
 ris ingenii
 expositiones

„diunt Evangelio; et Actor. 7. *vos semper Spiritui S. resistitis.*“ adeoque iuxta hoc systema divina gratia se habet per modum *Hospitis* et peregrini, qui ante fores pulsatur et expectatur, an liber eidem accessus concedatur, an vero claudatur ianua? namque ut ad Patremfamilias ingredi, ut ibidem ulterius colloqui et agere, quae agenda sunt, ut eundem sibi amicum et consentientem reddere valeat, non ex se, suaeque natura, sed ex gratioso quasi Patrisfamilias nutu, liberoque illius adsensu pendet; praeterea iuxta istud systema Molinianum gratia tunc primum suam acquirit *efficaciam*, quando voluntas hospitis petitione permota manum quasi eidem porrigit, *viresque suas eiusdem viribus coniungit*; ingenua profecto, liberoque homine dignissima, sed parum genuina Molinistarum doctrina!

S. Scripturae conveniunt.

§. XIV. Systema istud non traditione acceptum, non e Conciliis aut SS. Patribus derivatum, sed posterius immisum, et e cerebro Molinae natum fuisse, paulo inferius ostendemus; nunc inanem illam gloriationem paulisper examinabimus, qua Moliniani doctrinam suam et Scripturae, et Conciliis, et Patribus esse conformem iactant; verum est, Scripturam frequenter dicere: *adposui tibi ignem et aquam, ad quodcunque volueris, extendes manum tuam etc.* quales textus humanae libertati faventes Pelagiani et Semipelagiani pro sua sententia citarunt quamplurimos, prout e S. AUGUSTINI operibus hac de materia editis ad oculum patet; quod si vero huiusmodi textus, prout iacent, sumendi sunt, eodem iure ac titulo in sensu litterali sumendi erunt alii, qui opus bonum Deo adscribunt: v. g. Prov. 21. *sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu*

Do-




Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud. Isa. 26. omnia enim opera nostra operatus es nobis. Ezech. 36. dabo vobis cor novum, et spiritum meum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, - et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiat; et operemini. Rom. 8. ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. 9. non volentis, neque currentis, sed misipientis est Dei. 1. Cor. 4. Quis enim te discernit? quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis? si enim textus isti in sensu obvio et litterali, prout iacent, sumantur, non videmus, quomodo data Molinianorum gratiae sufficientis explicatio subsistere possit; nam longe quid aliud significant citati Scripturae textus de gratia efficaci loquentes, quam PAULUS loquens de gratia sufficienti: non sumus sufficientes aliquid cogitare de nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. Cor. 3. sic et CHRISTUS inquit Ioan. 14. sine me nihil potestis facere, non de gratia efficaci, sed solum de gratia sufficienti videtur loqui. textibus igitur solis nihil evincitur, nisi magnus ille ac infallibilis interpres, qui est Ecclesia in Conciliis, Patribus, et Pontificibus loquens, ignorantiam nostram illustret, ambigua dilucidet, et controversias discernat opinionum; hanc autem genuinam Ecclesiae interpretationem infra, ubi de gratia efficaci specialiter agemus, uberius explicabimus; nunc pauca de gratia sufficienti.

§. XV. Nihil verius, quam illud S. AUGUSTINI L. 2. de Peccat. mer. et Remiss. cap. 19. per gratiam nobis adparet, quod latebat, et suave fit, quod

Ita quoque neque S. Augustinus, aut alii Patres, neque Concilia

non delectabat. nihil solidius, quam eiusdem S. Patris in illa Psal. 20. verba: *Prævenisti eum in Benedictionibus dulcedinis tuae.* item Psal. 67. *Paraſti in dulcedine tua Pauperi Deus.* Commentatio: *Haec est illa ſuavitas, de qua alibi dicitur: Dominus dabit ſuavitatem, et terra noſtra dabit fructum ſuum, ut bonum opus fiat, non timore, ſed amore.* certiffimum etiam eſt, quod Concilium Trid. Sefs. 6. cap. 5. definit: *Iuſtificationis exordium in adultis a Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione (quae ſequuntur, non ſiſtra omittit noſter Molinianus) qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata a Deo averſi erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiae libere aſſentiendo, et cooperando diſponantur; ita (pergit nunc Author) ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abicere poteſt.* cur autem ſequentia Concilii verba non addidit? neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. admittimus etiam, illam Concilii Milevitani doctrinam can. 4. dicentis: *utrumque donum Dei eſſe, et ſcire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus.* item illam Concilii Arauſicani II. can. 7. *ſi quis per naturae vigorem* (ita enim ſonat integer textus, a Molinianis male truncatus) *bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Evangelicae praedicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, et inspiratione Spiritus S. qui dat omnibus ſuavitatem in conſentien-*
do,



do, et praeibendo veritati, haeretico fallitur Spiritu. ambabus quoque manibus amplectimur ea, quae S. Augustinus lib. 2. de pecc. merit. et remis. habet cap. 17. ut innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratiae Dei est. item ibidem cap. 19. cum ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, et suave faciat, quod non delectabat. uti et illud tract. 26. in Ioan. trahitur animus et amore, trahitur voluntate; parum est voluntate, etiam voluptate traheris. at vero, dum haec omnia et venerando sequimur, et sequendo veneramur, nihil exinde, quod Moliniano de gratia sufficiente systemati favere posset, invenimus.

§. XVI. Omnia quippe contra Pelagium et Massilienses celebrata Concilia, totus Augustinus, et quotquot illum sequebantur, Patres, in eo sunt, ut omnia divinae gratiae, nihil vero voluntatis humanae viribus adscribant; ut nullatenus gratiam naturae, sed naturam potius gratiae adcommodari, ostendant; ut ipsam etiam cogitationum praeparationem, et aptitudinem a Deo esse demonstrent, ut nos doceant, liberum quidem arbitrium non esse mortuum et nihil omnino agens, gratiam recipiendo, interim immotum permanere, nisi gratia faceret, ut se moveat; ex quibus omnibus patet, quam longe a Conciliorum, sanctorumque Patrum doctrina distent Moliniani, dum imo gratiam quidem sufficientem omnibus, sed ita aequaliter dari existimant, ut non modo diversi huius gratiae gradus, verum etiam actualis eiusdem efficacia ex libero hominis consensu pendeant; dum 2do, gratiam naturae, non vice versa,

Stant pro
gratia suffi-
ciente Moli-
niana.

versa, naturam gratiae submittunt; dum 3tio pro sua doctrina usurpant verba illa S. AUGUSTINI lib. I. q. 2. ad Simplicianum: *Deus eorum miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur* . . . cuius enim miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. quasi vero S. Pater NB. ex professo agens de hac materia, non ubique doceret, hanc ipsam congruentiam, et aptitudinem donum Dei esse, imo ne semper quidem gratiam efficacem praecedere; dum denique 4to in hoc statu naturae lapsae directe contra systema S. Augustini ab Ecclesia receptum docent, solum dari auxilium sine quo non, illudque in hoc non minus, quam in illo statu integritatis sufficere, quin requiratur auxilium quo fit, ut velimus, ut consentiamus, ut operemur; quodque ab auxilio sine quo non, seu gratia Congruistarum sufficiente, non aliter, quam per liberum voluntatis nostrae (cuius iuxta Molinam ex peccato originali nihil traxere damni) consensum distinguunt. ubi denuo est observandum, quomodo Moliniani et Congruistae, dum non amplius, uti quondam fecit Molina, audent, AUGUSTINUM tanquam Idiotam, scandala praebentem, et Ecclesiae perturbatorem perstringere, eundem nunc in partes abire cogant, sed profusus invitum; tum, quod eiusmodi solum libros allegare soleant, ubi nulla penitus de gratiae vel Praedestinationis mysterio vertebatur quaestio; tum, quod eas interdum Augustini producant in rem suam sententias, quas ille postmodum agens contra gratiae divinae hostes, aut revocavit, aut in sensu longe alio, ac Molinianis diametraliter contrario explicavit; tum denique, quod non raro textus ita trunc-

catos

catos
met
cum

tra q
immo
bet;
Patru
priva
dimu
tius,
NON
iustit
bus c
Deus
non
etian
quos
suffic
tiis a
tam,
mitte
S. S
Conc
nibus
tenti
nostr
grati
osten

catos et mutilos citare soleant, ut, nisi fontes ipsi-
met investigentur, Lectori nimis credulo facile fu-
cum creare valeant.

§. XVII. Circa systema illius Praesentati, con-
tra quem agit Author ingenuus cap. III. §. I. non
immoramur; loquatur ipse pro re sua, aetatem ha-
bet; nos quod adtinet, antiquitati potius, et SS.
Patrum authoritati, quam novitati, et hominum
privatorum placitis inhaerentes, lubentissime conce-
dimus, gratias sufficientes (*inter auxilia tamen po-
tius, QUIBUS, non vero inter ea, SINE QUIBUS
NON, numerandas*) seu de se in ordine ad actualem
iustificationem inefficaces, omnibus omnino homini-
bus dari, quia omnium salutem vult benignissimus
Deus; concedimus etiam, gratias illas sufficientes,
non modo praeparari et offerri, sed ab hominibus
etiam, saltem remote, percipi, imo etiam interdum
quosdam effectus producere; at vero gratiam istam
sufficientem, esse versatilem, naturae vel circumstan-
tiis adcommodatam, humanae libertatis usui subiec-
tam, et ab ipsa pendentem, eo minus unquam ad-
mittere possumus, quo magis obposita doctrina et
S. Scripturae, et antiquorum Fidelium sensui, et
Conciliorum decretis, et SS. Pontificum declaratio-
nibus, et S. AUGUSTINI, aliorumque Patrum sen-
tentiis est consentanea; prout uberius in theorematibus
nostris ante Annum probavimus, ac paulo post de
gratia efficaci acturi, quantum nobis permittitur,
ostendemus.

Sicut nec
pro syste-
mate quo-
rundam
Thomista-
rum.

CAPUT II.

De gratia efficaci.

Defenden-
do intrinse-
cam gratiae
efficaciam
ad mentem
S. Augusti-
ni, ac D.
Thomae,

§. XVIII. **S**aepe quidem per decursum prote-
stati fuimus, nos in hisce pagellis
nostris nec in favorem *Praesentati*, cuius ne causam
quidem integram, ut hactenus ostendebamus, no-
stram facimus, nec in odium *Authoris ingenui*, quem
omni, quā par est, veneratione prosequimur, quid-
quam agere, sed praecise *genuinam indolem* doctri-
nae Ecclesiasticae, *ingenuae indoli* scientiae mediae,
Probabilismi, et gratiae efficaciis obponere proposu-
isse; idem tamen propositum nostrum de novo repe-
tere hac in materia eo consultius duximus, quo
minus *gratiae efficaciis* naturam in sensu peripatetico
et crude scholastico, sed Augustiniano defendimus;
hinc *intrinsecam* divinae gratiae efficaciam ita proba-
bimus contra Molinianos, ut nihilominus *physicam*
praedeterminationem, prout a Theologastris quibus-
dam explicatur, non admittamus; in id potius in-
tenti, ut etiam in systemate S. AUGUSTINI, di-
vique THOMAE Aquinatis salvam, integramque
manere hominis libertatem pro viribus common-
stremus.

S. Scriptu-
rae non con-
tradicitur;
nam respon-
demus ad
Molinista-
rum argu-
mentum
primum,

§. XIX. Obiicit autem imprimis Author no-
ster ingenuus famosum illum textum Math. II. *Vae*
tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, quia, si in Tyro
et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in
vobis, olim in cilicio et cinere paenitentiam egissent.
ex quibus ille deducit imo „ quod non simplex haec
„ fuerit paenitentiae praedictio, sed seriae obiurga-
„ tioni coniuncta; alterum, quod Christus certam
„ ha-



„habuerit scientiam, Tyrios revera paenitentiam acturos fuisse, si ea prodigia patrasset coram illis, quae patravit in conspectu Corozaitarum; tertium, quod exprobratio haec neutiquam seria, imo nec aequa esse potuisset, si hoc in negotio praedeterminationi locus foret.“ Sed respondemus ad primum imprimis retorquendo in ipsosmet Molinianos: si Christus qua Deus ab aeterno per scientiam mediam praevидit, Tyrios et Sidonios paenitentiam acturos esse, si praedicasset ibidem, cur ergo non praedicavit? praevидit utique, eos in talibus circumstantiis fuisse positos, in quibus certissime divinae Praedicationi adsensum praebuissent; dum econtra Corozaitae in talibus versarentur circumstantiis, in quibus positos Deus certo praevидit, eos nullatenus consensuros esse; et tamen his praedicavit, illis non praedicavit; quid ad haec ingenuus Author? pag. 360. ad inscrutabilia Dei iudicia provocat; bene est, cur autem non etiam Ludovicus Molina cum humili Paulo et Augustino loco sui novi systematis ad eadem Dei iudicia provocavit? nonne Tyrii iuxta systema Molinianum irridere potuissent Christum, ac dicere: *si ostendendo nobis virtutes tuas, tam te bonum ac pium erga nos esse iactas, si nosti, eam te apud Sidonios pertinaciam non fuisse inventurum, quam exprobras nobis, cur ergo illis non praedicasti? cur semen verbi tui eo potius in agro seminasti, ubi praesciebas, fructum inde nullum sperandum esse?* sed respondemus in forma: quamvis Christus per ea verba proprie non praedixerit, quid futurum fuisset, quia Tyriorum conversio erat mere possibilis, fuit nihilominus vere ac stricte obiurgatoria Christi sententia; quis enim nescit, Deum ad homines loquentem

humana-

humano modo ad eos loqui, humano captui sese accommodare, adeoque uti quandoque, ut vocare solent, argumento ad hominem? utilitatissimum autem est inter nos homines, pro exaggeranda v. g. cordis duritie dicere: *saxa prius, quam corda moventur*, si sensu videlicet essent praedita; sic et pro exaggeranda naturalis amoris necessitate Poeta: *in sua etiam patiuntur sidera flammam, ipsum etiam credo novit amare mare*, si nempe sensus ipsis et anima foret; sic et vulgaris est pro exaggeranda cuiusdam sceleris faeditate loquendi phrasis: *Sol ipse suos, si quos haberet, clausisset oculos, ne tantum videret nefas* etc. sicque Christus inter animos Tyriorum, et Corozaitarum comparisonem instituens, exprimere voluit, duriora esse istorum, quam illorum praecordia, illi enim, si me vidissent et audivissent, egissent paenitentiam, hi autem scindi ad paenitentiam nolunt; et nunquid Psalmista ipse hac phrasi utebatur, cum dixit: *montes exultabunt ut arietes, et colles velut agni ovium*, ut universalem totius universi exprimeret iucunditatem in adventu Christi futuram?


item ad secundum et tertium.

§. XX. Ad secundum respondemus, ab Authore illud ipsum veluti certum subponi, de quo altercamur, et quod antecederet probandum esset, nempe Deum per *scientiam mediam* praecognovisse, Tyrios et Sidonios fuisse acturos paenitentiam, si apud eos haec signa fuissent facta; iam enim P. I. probavimus, huiusmodi futuribilia, quae respectu hominum videntur esse conditionata, iuxta SS. Augustinum, Prosperum, Fulgentium, et Aquinatem, nonnisi ad classem mere possibilium pertinere. *Tertium* quod adtinet, respondemus, nec Tyrios, Si-

do-



doniosque, nec Corozaitas aut Bethsaidanos a Deo fuisse praedeterminatos, alias et illi vidissent miracula, et isti conversi fuissent ad paenitentiam; amborum ergo induratio, sicut illa Pharaonis ex mente S. Augustini proveniebat ex defectu gratiae efficaci, *non impellendo ad malitiam, sed gratiam dene- gando.* Neque sequitur exinde, ut putant Molinia- ni, huiusmodi homines nec corripì, nec damnari posse, eo quod omissio paenitentiae non ex ipsorum voluntate, sed gratiae negatione provenerit; nam ad hanc obiectionem, iam dudum sibi a Pelagianis et Massiliensibus factam, S. AUGUSTINUS toto libro de correptione et gratia ex professo, et invicte respondet. Hinc etiam epist. 107. ad Vitalem: *Sci- mus, gratiam Dei non omnibus hominibus dari; sci- mus eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari; scimus eis, quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari.* nemo autem non videt, sermonem hic esse, non de gratia sufficiente, quae omnibus datur, sed de gratia efficaci, quae non omnibus datur, quae- que praecipuum erat inter S. Augustinum, et Pela- gianos discordiae pomum; hinc etiam S. PROSPER. ad Obiect. Vincent. cap. 2. *ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salven- tur, Salvantis est donum;* et ad excerpta Genuens. Resp. 8. *non solum Tyrios, et Sidonios, sed etiam Corozain et Bethsaida potuisse converti, si hoc in eis Dominus voluisset operari.* ergo et Corozaitae, quod non acceperint gratias efficaces, se nequeunt excu- sare. Quodsi hac responsione contenti non sint Mo- liniani, dicant nobis, an non potius sint excusabiles Tyrii et Sidonii, qui paenitentiam certe egissent, si Evangelium audivissent; nunquid enim ipsi erant in culpa, quod non audiverint?



Ad argu-
mentum ex
Math. 25.
petitum.

§. XXI. Argumentantur ulterius Moliniani: si aliqui homines praedeterminatione gratuita, et gratia efficaci absque sua culpa (non enim illa in ipsorum stat potestate) sint destituti, quomodo illaesa divina iustitia propter malorum operum *omissionem*, aut praeceptorum *omissionem* damnari poterunt? v. g. si Math. 25. dicat supremus Iudex: *discedite a me maledicti in ignem aeternum! - - esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, sitivi, et non dedistis mihi potum etc.* nunquid in systemate Thomistico vel Augustiniano sese poterunt excusare, ac dicere: haec omnia quidem omisimus, quia facere noluimus, sed ideo facere noluimus, quia ad volendum non fuimus praedeterminati, quia gratiam illam efficacem non accepimus, quae facit, ut velimus, et operemur, quae nobis et velle et perficere tribuisset; et quod pessimum est, non erat virium nostrarum, ac liberi arbitrii, sed in sola potestate, ac voluntate tua positum, ut gratiam efficacem reciperemus, et ad ista bona opera praedeterminaremur.

Responde-
tur pariter
e Scriptura.

§. XXII. Sed respondemus ad argumentum istud cum SS. AUGUSTINO et PROSPERO, quod iustis illis gratia efficax data fuerit, ex gratuita Dei misericordia factum est, quod autem istis non fuerit data, factum est ex iusto Dei iudicio; unde, quod isti pereant, pereuntium est meritum, quod isti salventur, Salvantis est donum; est enim misericors Dominus, sed est et iustus; nec minus errant, qui omnem iustitiam, quam qui omnem in Deo negant misericordiam, alias aut omnes damnarentur, aut omnes salvarentur; spectat huc Paulinum illud Rom. 9. o homo, tu quis es, qui respondeas Deo, nunquid di-

tit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam? si ergo nullus hominum iuxta Paulum excusare se potest, ac dicere, cur illos praedestinasti? nos autem non praedestinasti? ita quoque damnati illi Deo nequeunt obicere: cur illis dedisti gratiam, qua facerent, nobis autem denegasti gratiam, qua faceremus? responderet quippe Rex: nunquid oculus tuus nequam est, quod ego bonus sum? gratiam sufficientem promisit omnibus, et actu dedit; et quid ultra debuit facere vineae suae? quod autem gratias efficaces nec promiserit, nec dederit omnibus, non erat volentis, aut currentis hominis, sed solius misipientis Dei, qui, quem vult, indurat, et cuius vult miseretur. Accedit, etiam damnatos illos gratia utique sufficiente adiutos potuisse praecepta servare, potuisse bona opera exercere, potuisse pro gratiis etiam efficacibus rogare; si ergo fecissent, quod erat in se per vires gratiae sufficientis, Deus ipsis gratias efficaces non denegasset, hinc ad Israel: perditio tua ex te Israel, ex me tantummodo salvatio. Fatemur quidem, durus est hic sermo in auribus nostris, et humanae capacitati difficilis; sed eandem quoque difficultatem in suo systemate patiuntur Moliniani, si quaeramus ex ipsis, cur Deus electos in iis circumstantiis posuerit, ubi praevidebat, eos gratiae consensuros, damnatos autem in eiusmodi congruis circumstantiis non collocarit? scilicet et ipsi respondebunt nobiscum: altiora te ne quaesieris, quia scrutator Maiestatis obprimetur a gloria; nosque omnes exclamare debemus cum Paulo et Augustino: o altitudo. igitur in rebus fidei

fidei non est quaerenda *facilitas*, humano captui accommodata, sed *veritas*, infinitae revelantis veracitati commensurata; nec altissima religionis mysteria infirmæ rationi, sed hæc potius religioni humiliter est submittenda.

Ad argu-
menta e
Conciliis
desumpta

§. XXIII. Argumenta, quæ Author noster ex conciliis adfert, eius sunt conditionis, ut non tam responsione, quam expositione indigeant; ait equidem concilium Senonense decret. 15. *Auxilium Dei trahentis non esse tale, cui resisti non possit.* ait etiam Synodus oecumenica Tridentina Sess. 6. can. 4. *liberum hominis arbitrium motum - - - posse dissentire si velit.* et iterum Sess. ead. cap. 11. *Dei præcepta homini iustificato ad observandum non esse impossibilia, nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere, quod possis, et petere, quod non possis, et adiuvat, ut possis.* ergo, subinferunt Moliniani, nec gratia ab intrinseco efficax, nec prædeterminatio a conciliis agnoscitur, huic enim liberum arbitrium nunquam poterit dissentire, aut eam reddere inefficacem, etsi velit; „dissentire igitur humana voluntas non poterit prædeterminationi, si adsit, et „quin adsit, impedire nequit, cum eam Deus ante „omnem liberam ipsius determinationem, ne quidem „prævisam, homini immittat, aut immittere „decernat. “

Responde-
tur illorum
expositio-
ne,

§. XXIV. Reponimus Molinianis, citata conciliorum verba nihil prorsus contra S. Augustini, vel D. Thomæ doctrinam de gratia efficaci statuisse; quaerimus enim ex Molinianis, an in ipsorum systemate homo, si sese ad consensum gratiæ verfatili præstandum libere determinet, adeoque non minus

minus infallibiliter, quam libere consentiat, simul ac semel etiam dissentire possit? si non possit? tum eadem ipsis remanet enodanda difficultas, quam nobis obiiciunt; quomodo scilicet salvari possit libertas actionis, ad cuius obpositum nulla restat potentia; si autem possit? tunc utique non in alio sensu, nisi quatenus homo consentiens actu, dispositus sit potentialiter ad actum contrarium, id est, quatenus non quidem actus contrarios simul iungere potest, ita tamen hunc actum ponit, ad cuius obpositum servat potentiam, adeoque *in sensu diviso*, quem, quomodocunque in Augustinianis atque Thomistis cavillentur, nihilominus etiam in suo systemate debent admittere; quamvis igitur liberum arbitrium a Deo moveatur determinate ad hunc actum, per hoc tamen potentia illius ad actum obpositum non aufertur; id, quod etiam in voluntate seipsam determinante, ac sibi metipso relicta, uti iam diximus, contingere debet. neque dicant, aliud esse, *seipsum determinare*, quod est libertatis, et aliud, *determinari ab alio*, quod est necessitatis; nam respondemus, libertatem hominis tam parum a Deo, quam ab ipsomet homine seipsum determinante violari; imprimis enim Deus agens in causas secundas, modo semper ipsarum naturae consentaneo agit, causis necessariis facultatem necessario, causis liberis facultatem libere agendi tribuens, utpote sine cuius concursu nec istae, nec illae unquam quidquam acturae essent; quod autem in linea naturali sine detrimento causalitatis creatae fieri adsolet, id multo magis in linea supernaturali fieri debebit, quia libertas humana, (ut ex Concilio Arausicano II. Can. 1. ac Tridentino Sess. 6. cap. 1. subponimus) iam fauciata ac debili-

bilitata, per illius utique adiutorium redintegrari, atque adiuvari debet, a quo illam accepimus; quid ergo absurdius, quam credere, ab illo tolli libertatem, a quo datur, conservatur, et adiuvatur? qui *magis in sua potestate habet hominum voluntates, quam ipsi suas?* qui, dum agit in voluntatem humanam, non ut principium externum, sed ut magis eidem, quam ipsa sibi sit, internum agit? qui movendo voluntatem tam parum eidem nocet, tamque multum eidem praestat, quam parum nocet intellectui, imo quam multum eidem confert, illum illuminando? si proprius noster intellectus obiectum aliquod ita bonum proponens, ut voluntas infallibiliter ad illud appetendum *non necessitate, sed voluptate trahatur*, libertatem non tollit; quomodo illam tolli credamus, si veritas aeterna per suam *luminosissimam et flagrantissimam charitatem* nos trahit in odorem unguentorum suorum? Deus ut renum et cordium, omniumque arcanorum nostrorum scrutator, renum et cordium iura non laedit; cur ergo illius Dominium in solam nostram voluntatem repudiemus? cum etiam respectu huius verissimum sit: *in ipso vivimus, movemur, et sumus*; verbo: non aufert libertatem, qui voluntati nostrae nihil agit contrarium, imo qui potius ex infirmitate nolentes, nos excitando volentes, et hilariter quidem volentes facit. de caetero non credimus, Authorem ingenuum ex animo et serio Augustinianam et Thomisticam doctrinam cum Lutheranismi et Calvinismi comparare voluisse, quia tantam erga Bullas Pontificias venerationem praefert.

§. XXV. Has autem conciliorum, atque doctrinae nostrae expositiones confirmamus SS. Patrum testimonio; sic S. AUGUSTINUS expresse docet, voluntatem a Deo motam non agi, sed agere, et quidem modo sibi connaturali, videlicet libere, lib. de corrept. et grat. cap. 14. inquit: *Item de David, quem Dominus in Regnum successu prosperiori constituit, ita legitur: et ambulabat David proficiens, et magnificabatur, et Dominus erat cum illo; hoc, cum praemissum fuisset, paulo post dictum est: et Spiritus induit Amasai Principem inter triginta, et dixit, tui sumus David, et tecum futuri - - nunquid ille posset adversari voluntati Dei, et non potius eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per spiritum suum, quo indutus est, ut hoc vellet, diceret, et faceret?* deinde quoque de Praedest. SS. cap. 4. in cuius quaestionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanae, sed vicit Dei gratia; nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus: quis enim te discernit etc. quod volens etiam Martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit, dicens, in nullo gloriandum, quando nihil nostrum sit; ecce, quare dixi superius, hoc Apostolico praecipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter sapperem, quam mihi Deus in hac quaestione solvenda, cum ad Episcopum Simplicianum scriberem, revelavit. iterum de grat. et lib. arbit. cap. 16. cum dicit faciam, ut faciatis, quid aliud dicit, nisi, auferam a vobis cor lapideum, unde non faciebatis, et dabo vobis cor carneum, unde faciatis? sed plura deinceps.

e S. Augustino de-
sumpta.

Contra ar-
gumentum
e S. Augu-
stino peti-
tum exci-
pitur,


§. XXVI. Nititur ulterius Author noster in-
genuus doctrinam suam confirmare tum e S. AU-
GUSTINI, tum e S. THOMAE autoritate, quos
ambos, licet Molinae suo summe contrarios, in sub-
sidium vocat; et imprimis quidem lib. 3. de lib.
arbitr. cap. 17. AUGUSTINUS de causa malae volun-
tatis ait: *hoc brevissimum tene, quaecunque ista causa
est voluntatis, si non ei potest resisti, absque peccato
ei ceditur.* ergo, inferunt Moliniani, sequitur e con-
trario: quaecunque sit causa voluntatis bonae, si ei
resisti non potest, absque merito ei ceditur; quia
nempe in utroque casu voluntas ea libertate resisten-
tiae non gaudet, quae tum ad meritum, tum ad pec-
catum requiritur, hoc autem contingere debet stan-
te gratia efficaci, et physica praedeterminatione, er-
go. Sed conquerimur imprimis contra Molinianos,
quod affectatam adeo doctrinae nostrae genuinae ig-
norantiam profiteantur, perque calumniam nobis af-
fingant, de quo nemo nostrum somniavit unquam;
efficaci gratiae, praedeterminationi physicae nun-
quam *resisti*, docuerunt iuxta ipsorummet Molinia-
norum confessionem concilia Milevitana, Arausicana,
Augustinus, Prosper, Fulgentius, Thomas Aquin-
as, docemus et nos; nemo autem horum unquam
docuit, efficaci gratiae, aut praedeterminationi phy-
sicae (si haec non lividis, sed genuinis oculis consi-
deretur) *resisti non posse*; neque propterea in verbis
ludimus, alias et luderent ipsimet Moliniani, dum
ne ipsi quidem *sensu diviso* in suo systemate carere
possint, ut paulo ante §. 24. diximus; dein vero in
forma respondemus, S. AUGUSTINUM libro isto
de libero arbitrio non contra Pelagianos, sed contra
Manichaeos agere (quod probe scivisset Author in-
genuus,

genuus, si etiam ingenue dogmatices regulas observare voluisset) adeoque nihil prorsus contra nos evincere; Manichaeis mala cuncta malo principio adscribentibus, omnesque hominum actiones malas fatali necessitati submittentibus, respondere aliter nec potuit, nec debuit AUGUSTINUS, eo tempore ne Presbyter quidem, multoque minus Pelagianorum (tunc nondum existentium) Antagonista; ulterius vellemus scire, an inter eas causas voluntatis malae, quibus voluntas resistere non potest, etiam gratiam efficacem numerent Moliniani? absit; sed nec inter eas bonae voluntatis causas, quibus resisti non potest, numerare possunt, quia utique iuxta Concil. Trid. resisti potest, licet nunquam resistatur, uti etiam in suo systemate propter infallibilem Praescientiae divinae cum consensu connexionem admittere solent; hinc AUGUSTINO scribenti contra liberi arbitrii hostes, AUGUSTINUM contra divinae gratiae inimicos tractantem obponimus.

§. XXVII. Sic autem ille lib. i. ad Simpli-
cian. q. 2. *quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? quis autem habet in potestate, tali visu (quo nempe intellectus illustratur, et voluntas movetur) adtingi mentem suam, quo eius voluntas moveatur ad fidem? aut quis habet potestatem, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit? cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, et praebetur gratia Dei, non nutu nostro et industria, aut operum meritis comparatur, quia, ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur. quid magis liberum? quid magis meritorium,*

Et respon-
detur.

quam charitas? et tamen utrumque indubitanter a Deo est, nam *quae sunt Dei dona, nostra sunt merita*; huic autem luminosissimae ac flagrantissimae charitati resistere quidem potest malitiosa voluntas nostra, sed per gratiam adiuta resistet nunquam; hinc iure merito Ecclesia, Augustiniana saltem atque Thomistica ex animo rogat, ut *rebelles etiam nostras ad se voluntates compellat Deus*. Sic et L. de corrept. et grat. cap. 14. in illud I. Paralipp. 12. *omnes hi viri bellatores dirigentes aciem corde pacifico* etc. ait: *sua utique voluntate isti constituerunt Regem David; quis non videat, quis hoc neget? non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico; et tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit operatur; - - ac per hoc Dominus omnipotens adduxit istos, ut eum Regem constituerent; et quomodo adduxit, nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit*. sua igitur, non aliena, voluntate agunt, quicumque a Deo moventur, quicumque, nisi Deus eos praemoveat, sese ad bonum supernaturale movere nullatenus possent; agent corde pacifico, non rebellante amplius, libero, non invito, quorumcunque libertatem in malum propensam Deus confortat, ut ex nolentibus volentes fiant, quodque antea respuebant, nunc dilatato corde, et hilariter ambient; si plura requirant Moliniani, perlegant S. AUGUSTINI opera quaecunque hac de materia scripta, et videbunt, quam longis ab illo distent parasangis, quem invitum in suum vocant Patrocinium.



§. XXVIII. Iterum ex Augustino lib. 2. cap. 4. contra Felicem Manichæum, adeoque nil minus, quam præsentem materiam pertractante argum-
 tantur Moliniani, dum ait: *Nemo, nisi Deus arbor-
 rem facere potest, sed habet unusquisque in voluntate,
 aut eligere, quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut
 eligere, quæ mala, et esse arbor mala.* egregie, si
 superis placet; miror, cur Moliniani tantopere par-
 ci ac peregrini sint, aut esse velint in legendo Au-
 gustino, ut se nescire fingant, quænam in SS. Pa-
 tribus legendis adhibendæ sint regulæ, quando vi-
 delicet, contra quos, et in quem finem scripserint;
 id, quod in S. AUGUSTINI scriptis iam dudum ob-
 servaverat Eminentiss. Card. Bellarminus de Scrip-
 tor. Eccles. inclytæ Societatis illustre decus; indul-
 geant ergo nobis, si Paedagogi munus in nos, etiam
 inviti suscipiamus, ipsisque quasi digito monstre-
 mus, quid AUGUSTINUS ipse hoc de suo, quem
 citant, libro sentiat lib. 2. Retract. cap. 8. *contra
 Manichæum quendam nomine Felicem præse-
 nte populo Biduo in Ecclesia disputavi -- unus enim erat ex
 Doctoribus eorum, quamvis ineruditus liberalibus lit-
 teris, sed tamen versutior Fortunato; -- duo ergo
 libri sunt, in quorum 2do disputatum est de libero
 voluntatis arbitrio, sive ad malum operandum, sive
 ad bonum.* ergo contra Manichæos citari debet Au-
 gustinus de libero arbitrio disputans, non contra il-
 los, qui et ipsi pro integritate liberi arbitrii iuxta
 Conciliorum et SS. Patrum doctrinam pugnant; ad-
 mittimus utique cum Augustino et Angelico Doc-
 tore, in nostra esse potestate, an arboribus bonis, an
 vero malis velimus adnumerari; at vero id Moli-
 nianis contra nos probandum adhucdum restat, num
 ea

ea potestas viribus arbitrii naturalibus, an vero divina gratia confortatis sit adscribenda; audiamus igitur AUGUSTINUM de gratia et lib. arbitrio, seu de lib. arbitrio comparative ad gratiam sumpto statim cap. 1. sic praemonentem: *Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt* (quales nunc sunt Lutherani, et Calviniani) *ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium* (quales nunc sunt Moliniani) *hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine Frater, et caeteri, qui simul Deo servitis, compellente mutua charitate curavi.* hinc statim cap. 4. ait in illud Ierem. *Maledictus homo, qui spem habet in homine etc.* ut ostenderet, sic se admonuisse hominem, *ut nec in seipso haberet spem, - - - mox addidit, et firmat carnem brachii sui; brachium pro potentia posuit operandi, in nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas; ac per hoc firmat carnem brachii sui, qui potentiam fragilem, atque invalidam, id est humanam sibi sufficere ad bene operandum putat.* tum cap. 6. *si merita nostra sic intelligerent* (Pelagiani) *ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reproba ista sententia; quoniam vero merita humana sic praedicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus, quis te discernit etc. prorsus talia cogitanti verissime dicitur: dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi a te ipso, non ab illo, sunt merita tua; haec enim si talia sunt, mala sunt, si autem bona sunt, Dei dona sunt.* videatur etiam Caput. 15. et 16. ubi corlapideum non ab homine, sed a Deo auferri, voluntatem nihilominus hominis inviolatam manere, imo augeri etiam libertatem docet.

seu
quae
rum
aptu
sic er
tem
si hi
nam
eam
stan
aux
libri
set,
S. A
eligi
mai
add
nas
firm
tuen
pra
bus
nec
guf
an
eod
ran
si r
ced
vol
qu
qu



§. XXIX. Maximum autem robur Moliniani seu Congruistae collocant in illis Augustini verbis, *quae habet lib. 1. q. 2. ad Simplicianum: Deus eorum miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur - - - cuius autem miseretur, sic eum movet, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* sed fallunt, et falluntur Congruistae, si hisce verbis Augustinum sibi suffragari existiment, nam cor eius longe est ab ipsorum doctrina, dum eam ipsam aptitudinem, eas ipsas congruas circumstantias, ipsamque adeo bonam voluntatem divino auxilio in acceptis refert; si Author noster eiusdem libri 1. ad Simplicianum caput 2dum integre legisset, deprehendisset utique praeter citata, etiam illa S. AUGUSTINI verba: *Non habeo, quid intuear in eligendis hominibus ad gratiam et salutem, nisi vel maius ingenium, vel minima peccata, vel utrumque; addamus etiam, si placet, utiles, honestasque doctrinas; sed cum hos statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, ut eum intuens, et pudore correptus ego irrideam multos, et prae quibusdam peccatoribus castiores, et prae quibusdam piscatoribus oratores.* si autem nec dotes, nec virtutes, nec scientiae naturales iuxta S. Augustini systema hominem prae alio aptiorem faciant? an saltem faciet bona voluntas? neutiquam; nam eodem iterum in loco S. Pater ulterius ait: *si quaeramus, utrum Dei donum sit voluntas bona? mirum, si negare quisquam audeat; at enim, quia non praecedit bona voluntas vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus, nobis vero tribui non potest, quod vocamur; non itaque ideo dictum putandum est:*

Ac denique ad tertium ex eodem desumptum.



non volentis, neque currentis, sed misereantis est Dei, quia, nisi eius adiutorio, non possumus adipisci, quod volumus (uti Moliniani admittunt) sed ita potius, quia, nisi eius vocatione, non volumus. infelicitate profecto pro se citat, qui adversarium citat. imo et lib. de peccat. mer. et remis. cap. 2. inquit: unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes caeteras provector, aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia Christi non possit? - - alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, et facinoribus coopertus ita gubernetur, ut audiat, ut credat, ut baptizatus rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat? ubi quaesumus hic aliqua congruentia, ubi aptitudo, ubi vel negativa quaedam ad gratiam praeparatio? nunquid et Moliniani cum Augustino exclamare coguntur: o altitudo! hinc pro harum obiectionum, et responsionum coronide audire iuvat S. PROSPERUM contra collato. cap. 18. egregie discurrentem: non conturbat nos superbientium inepta querimonia, qua liberum arbitrium causantur auferri, si et principia, et profectus, et perseverantia in bonis usque in finem, Dei dona esse dicantur; quoniam opitulationes divinae gratiae (notent sibi hoc Moliniani) stabilimenta sunt voluntatis humanae; volentes oramus, et tamen misit Deus Spiritum in corda nostra clamantem Abba, Pater; volentes loquimur, et tamen, si pium est, quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed spiritus Patris nostri, qui loquitur in nobis; volentes operamur salutem nostram, et tamen idipsum velle et operari, Deus

Deu
Deu
diffi
est
citiu
bus
si d
quo
ma
per
IE
vol
con
ere
tem
qui
non
ver

NO
tam
nisi
den
vet
hui
noi
neg
Mo
duc
gul
gra
sub
lint

Deus est, qui operatur in nobis; volentes diligimus Deum, et proximum, et tamen charitas ex Deo est diffusa in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis; hoc de tolerantia Passionum, hoc de pudicitia coniugali, hoc de continentia virginali, omnibusque virtutibus sine exceptione profitemur, quod, nisi donatae essent nobis, non invenirentur in nobis; et, quod liberum arbitrium homini naturaliter inditum maneat in natura, sed qualitate et conditione mutata per mediatorem Dei et hominum, hominem Christum IESUM, qui ipsam voluntatem ab eo, quod perverse volebat, avertit, et in id, quod ei bonum esset velle, convertit, ut delectatione affecta, fide mundata, spe erecta, charitate accensa, liberalem susciperet servitatem, et servilem abiiceret libertatem. quid elegantius, quid solidius istis? citent imposterum Molinam suam, non AUGUSTINUM, hunc enim ubique sibi adversantem et Molina fassus est, et ipsi experientur.

§. XXX. Spreti, reiectique ab AUGUSTINO, Patrocinium S. THOMAE AQUINATIS (cuius tamen doctrinam frequenter comparant cum Calvinismo) implorant; et imprimis quidem aiunt, eundem in Quodlib. 1. art. 7. ad 2. dicere: *Deus sic movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* et haec Angelicus in favorem nostrum, concedimus; in favorem Molinianorum, negamus; imo, mirum dictu, alibi negant ipsimet Moliniani, quamlibet, quae congruit, formam induentes; nos quod adtinet, et S. Doctori, et S. Augustino, et Concilio Tridentino, in quantum dicunt, gratiae ab intrinseco efficaci resisti posse, in eo sensu subscribimus, in quo ipsimet Moliniani, nolint velint, subscribere debent; sicque ipsis relinquimus

D. Thomas Aquinas nec in suo Quodlibeto, nec aliis in locis favet Molinians,

explicandum, quomodo Doctoris Angelici doctrinam, cuius praevidiam determinationem tantopere aspernantur, cum sua concilient; nam S. THOMAS expresse ibidem docet, non ita moveri a Deo mentem humanam, sicut putant Calvinistae, sibi que imaginantur Moliniani, nempe cum detrimento libertatis humanae.

uti expro-
priis eius-
dem ver-
bis,

§. XXXI. Obiiciunt ulterius D. Thomam in 2. dist. 39. q. 1. dicentem: *ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* item in 4. dist. 49. q. 1. art. 3. ad 1. *voluntas non potest in obpositum eius, ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in obpositum finis ultimi; potest autem in obpositum eorum, quae ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quorum electio ad ipsam pertinet.* quinimo etiam I. 2. q. 9. art. 3. interrogans, an voluntas humana seipsam moveat, respondet: *voluntas domina est sui actus, et in ipsa est velle et non velle, quod non esset, si non haberet in potestate movere se ipsam ad volendum.* ac tandem Q. 3. de potentia art. 7. ad 13. sic scribit: *voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.*

tam indi-
recte,

§. XXXII. Sed quid ad haec respondeamus, non invenimus; dum enim putabamus THOMAM audire contradicentem, experimur consentientem; voluntatem non alio principio quodam extrinseco (de quo

quo
ipfa
liber
no
tem
qui
vin
tam
ster
cur
rese
mir
rale
uti
der
leg
bon
tiu
ver
ret
ex
hu
in
hu
ex
IT
SI
N
str
pe
ta
ne
ex

quo ibidem sermo) ad aliquid determinari, sed sese ipsam, *divino nempe auxilio adiutam*, ac vel ideo libere determinare, una cum D. Thoma et Augustino et nos defendimus; determinari autem voluntatem ita, ut agatur potius ipsa, quam agat, soli sunt, qui fingunt, et somniant Moliniani. Voluntatem, divina licet gratia efficaci praeventam, ad obpositum tamen *elective manere liberam*, idque in utroque systemate, pariter concedimus, imo *libertatem* ipsam cum Augustino *divinae gratiae adiutorio in acceptis referimus*. Quod voluntas actuum suorum sit Domina, quod seseipsam ad bonum aliquod supernaturale movere possit, non iam ex *naturae debito*, quae utique per peccatum corrupta naturali quodam pondere fertur in malum, sed ex *divinae gratiae privilegio* provenit; ergo tantum abest, voluntatem ad bonum supernaturale volendum necessitari, ut potius a natura sua corrupta, nisi gratia illam praeveniret, et efficaciter elevaret, ad malum protraheretur. hinc cit. q. 3. de potentia expresse facit hanc exceptionem, *non per exclusionem causae primae*, huic enim ex consequentia doctrinae, quam tradit in summa sua theologica, supremum in voluntates humanas dominium omnimode competit; hinc etiam expresse addit rationem, inquit: *causa prima non ITA agit in VOLUNTATE, ut eam DE NECES-SITATE ad unum determinet, SICUT determinat NATURAM*: quibus utique verbis sat clare demonstrat, quod aliis in locis ex professo adserit; nempe, aliter Deum agere *in natura*, et aliter *in voluntate*; illam utpote causam 2dam necessariam, regit necessario, istam autem libere, utramque naturali exigentiae conformiter; omnis igitur *determinatio*

actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis, quatenus Deus per luminosissimam et flagrantissimam charitatem tam intellectum illustrat, quam voluntatem accendit. sicque D. THOMAM Aquinatem non nobis, sed Molinianis potius contrarium videmus, quorum utique systemati Doctorem Angelicum e diametro contrariari, aliis in locis continuo conqueruntur.

quam di-
recte pro-
bari potest.

§. XXXIII. Quanta sit, semperque in Ecclesia fuerit SS. AUGUSTINI ac D. THOMAE Aquinatis autoritas, hic loci probare supervacaneum duximus, tum, quod hac de re ante annum in theoremate nostro X. sufficienter sit actum, tum, quod ipsimet Moliniani lucem adeo nitidam et clarescentem nequeant inficiari; iam autem, ut de genuina ipsius mente penitus constet, tantum ea citabimus, quae illis in locis docet, ubi ex professo hac de gratiae materia tractat; sic I. 2. q. 109. art. 2. inquit: *In statu naturae corruptae etiam deficit homo ad hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum huiusmodi bonum implere per sua naturalia, quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter (ut Calvinus et Lutherus calumniantur) corrupta, ut scilicet toto bono naturae privetur, potest quidem etiam in statu naturae corruptae per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere, non tamen totum bonum sibi connaturale, ita, ut in nullo deficiat; sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest movere motu hominis sani, nisi sanetur auxilio Medicinae. Ecce D. THOMAS hominem etiam ad ea, quae sibi sunt connaturalia, in statu naturae lapsae deficere inquit, et nihilominus Moliniani*

niani adferere audent, etiam ad supernaturalia easdem esse naturae lapsae, ac integrae vires; S. THOMAS in statu naturae lapsae tale requirit auxilium, quod se habet per modum medicinae; ergo supponit, totum hominem, licet non totaliter, infirmum esse, ergo longe distat a Molina, qui nullam quoad vires voluntatis admittit infirmitatem; unde et II. 2. q. 109. art. 2. idipsum repetit et confirmat inquit: *in statu naturae corruptae indiget homo etiam auxilio gratiae naturam sanantis.* ad quid autem medicina sanans, ubi nulla praecedit infirmitas? ne autem putent, S. Doctorem ibidem loqui de gratia solum sufficiente, non efficaci, expressis terminis ibidem respondet ad 3. *Si DEUS movet voluntatem ad aliquid, impossibile est, quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter, unde non sequitur, QUOD VOLUNTAS A DEO EX NECESSITATE MOVEATUR.* quae verba cum illis §. 31. citatis probe sunt conferenda.

§. XXXIV. Quae Author ingenuus a fol. 386. et seqq. tractat, adeo pulverem scholasticum, et nescio quas monstrosas Peripati chymaeras redolent, nobis iam a iuventute exosas, ut exsuccam Authoris nostri cum suo Praesentato velitationem tranquillis velut a longe oculis libentius aspiciamus, quam nostram faciamus; non enim hos inter pugiles, si me mea non fallat opinio, de rebus, sed de verbis, non de SS. Patrum, aut Conciliorum autoritate, sed argumentorum, et ratiuncularum subtilitate, non de galea salutis, scuto fidei, aut verbi divini gladio, sed de obtuso ingenii Philosophantis concertatur acumine; manum ergo de tabula, qualem solidis potius locorum theologorum studiis, quam accidentibus absolutis,

Omissis
quaestioni-
bus mere
scholasticis.

solutis, qualitatibus physicis, aliisque iam obsoletis entitatulis consecramus.

Responde-
mus finali-
ter ad ar-
gumenta
et doctri-
nam Partis
adversae.

§. XXXV. Ad ea tandem, quae Author ingenuus cap. 5. §. 1. et 2. adducit, breviter respon-
demus *Primo*, verum et genuinum doctrinae Ange-
licae sensum certe non inter Molinianos, sed nec
semper, et inter omnes PP. Dominicanos quaeren-
dum esse, nam quilibet patitur suos Manes; alter-
cationes eiusmodi mere scholasticas potius ad obnu-
bilandam, quam inveniendam veritatem natas, lu-
bentissime illis relinquimus, qui veritatem in facili,
non in arduo ponunt, quique mysteriorum altitudi-
nem proprio metiuntur pede. *Secundo*, si tamen in
alterutram doctrinam de gratia efficaci, Augustinia-
nam vel Molinianam iurandum sit, eam procul du-
bio praeferendam esse, quae prius tradita, non quae
posterius immissa est, et quam Augustino Magistro
Ecclesia hucusque semper ut suam est amplexata.
Tertio, Omnes Molinas, Lessios, Hamelios, Suare-
zios, Vasquezios, Caramueles, aliosque humanae
libertatis Patronos apud virum prudentem et corda-
tum tanti ponderis esse non posse, quanti unicus est
in Ecclesia Augustinus, cuius ductu tot iam saecu-
lis contra inimicos gratiae Dei catholica acies hucus-
que pugnat et vincit, vincit inquam, quia non pa-
titur respirare, quos vincit, et in quorum excidium
unam cunctorum Patrum et Sacerdotum manu sen-
tentiam scripsit.

Quoniam igitur *vera* doctrinae *ingenuitas*, et
genuina illius *veritas* ea est, in qua servitus Christi
comprobatur, in qua plus valet Patrum, Concilio-
rum, et Romanae Sedis autoritas, quam rationum
huma-

humanarum suspecta facilitas, et in qua ratio in obsequium fidei humiliter inclinatur; illud coronidis loco et publice profiteamur, nos eam doctrinam ad mortem usque defendere, tenere atque docere velle, quam in materia scientiae divinae, morum, et gratiae per Augustinum et Angelicum Thomam defendit, tenuit, docuitque hactenus S.

Mater Ecclesia, ut ita

I. O. G. D.



THEOREMATA

EX

UNIVERSA THEOLOGIA

AD MENTEM

SANCTORUM ECCLESIAE DOCTORUM
MAGNI AUGUSTINI ET THOMAE AN-
GELICI.

EX SACRA SCRIPTURA.

1. **H**istoria creationis ex Moyse peti debet, contra Bo-
lingbroke et Spinosam.
2. Systema prae Adamitarum ab Isaaco Pereyro confictum,
est fabulosum.
3. Serpens Protoparentum Deceptor, verus, naturalisque
fuit, a daemone arreptus.
4. Peccatum mortale Protoparentum, nullum veniale tan-
quam ad illud disponens, praecessit.
5. Paradisum cum clariss. Calmeto circa montes Arme-
niae collocatum fuisse remur.

6. Cain vere fuit occisus a Lamecho.
7. Nunquam connubium aliquod Angelorum cum filiabus hominum extitit.
8. Uxor Loth non naturali, ut voluit Philo Carpathius, sed divina virtute in statuam salis conversa fuit.
9. Anni primorum Patriarcharum nostris haud fuerunt multum absimiles.
10. Carnium esus antediluvianis etsi minus usitatus, licitus tamen fuit.
11. Dies Sabathi non fuit sanctificanda ex praecepto in lege naturae.
12. Melchisedech verus fuit homo contra Melchisedechianos.
13. Nec Ephron vendens, nec Abraham emens sepulchrum ad tumulandam Saram uxorem suam peccarunt.
14. Iephthe votum suum vere cruenta filiae mactatione, non autem virginitatis consecratione, ut quidam hesterni Critici volunt, adimplevit.
15. Libri sacri, quos Lutherus, Calvinus, Kemnitiuss et Centuriatores Magdeburgenses ex Canone genuinorum extrudunt, sunt authentici et omnino in eo retinendi.
16. Canones Apostolorum non sunt genuini sed supposititii contra Turrianum.
17. Liber Enoch est fabulosis ineptiis repletus ac proinde fictitius.
18. Epistola Abagari ad Iesum, huiusque ad illum responsio suspecta interpollationis nota laborat.
Insuper autem cuiuscunque textus in epistolis Paulinis et Apocalypsi contenti interpretationem litteralem petentibus pro modulo nostro satisfacere conabimur.

EX THEOLOGIA PROLEGOMENALI.

1. Theologia in genere est doctrina rerum divinarum, quae in verbo Dei scripto et tradito nobis a Deo revelantur, et ab Ecclesia catholica nobis aut credenda aut agenda proponuntur.
2. Illius divisio adaequata secundum modum cognoscitivum abit in speculativam et practicam; secundum dogma in natu-



- naturalem et supernaturalem; secundum methodum styli in positivam et scholasticam.
3. Supernaturalis subdividitur in illam, quae ex principiis immediate revelatis deducit conclusiones theologicas ad dogmata fidei aut illis proxima stabilienda, et docet, quid sit credendum, et vulgo theologia speculativo-dogmatica vocatur.
 4. In illam, quae haec dogmata contra adversarios religionis propugnat, illorumque molimina profligat, et polemica audit.
 5. In illam, quae mores et actus humanos dirigit per dictamen conscientiae, et docet, quid sit agendum christiano, et theologia moralis christiana salutatur.
 6. In illam, quae varios ritus Sacrificii Missae et Eucharistiae docet, et theologia Liturgica nuncupatur.
 7. In illam demum, quae his argumenta et fundamenta subministrat, et locorum theologicorum aut prolegomenum nomine venit.
 8. Theologia est utilis et toti Ecclesiae absolute necessaria.
 9. Methodus docendi theologiam, quamvis sit arbitraria, ut illa tamen praemittantur, ex quibus subsequenter facilius intelliguntur et eruuntur, seu ut methodo scientifica tradatur, rei natura id exposcit.
 10. Adeoque falsissimum est, quod si quis hac methodo utatur, is defendere queat veritati revelatae contraria, aut virtuti aut statui publico, ita ut methodus causa sit.
 11. In rigore loquendo nonnisi duo loci theologici (nempe verbum divinum et Ecclesia) sunt admittendi.
 12. Existit verbum Dei scriptum contra Gentiles, Indifferentistas, Theistas et Quintinistas.
 13. Cuius nec existentiam nec Canonem genuinum Sectarii in suis principiis probare possunt.
 14. Huius textus originalis a Iudaeis quoad substantiam nunquam fuit corruptus.
 15. Vulgata nostra a S. Tridentino Concilio Sess. 4. ipsis fontibus non fuit anteposita, sed inter latinas tantum versiones authentica declarata.
 16. Sacra Scriptura non est ubique clara, contra Lutherum et Schubert.



17. Adeoque sui ipsius interpretres et iudex esse non potest, sed alio a se distincto indiget, contra eundem.
18. Pro tali spiritus privatus Enthusiastici Calvinii, Brentii et Schvvenkfeldii ineptissime crepatur.
19. Sed talem nos iure merito veneramur Ecclesiam.
20. Finem Scripturae ignorant Philosophi illi, qui illam ad asserta mere philosophica comprobanda adhibent.
21. Praeter verbum Dei scriptum necessario admittendum est etiam verbum non scriptum, seu traditum contra omnes fere Haereticos, praecipue Calvinum, Lutherum, Basnagium.
22. Hoc eiusdem ac Scriptura est authoritatis, contra Har-
duinum.
23. Testes traditionum Tertullianus et Origenes etiam esse possunt, licet postmodum in errores prolapsi sint, nec eosdem Ecclesia in Sanctorum numero recenscat.
24. Traditiones divinae aut Apostolico divinae ab Ecclesia mutari aut abrogari non possunt.
25. Vera datur in Ecclesia hierarchia indeque profluens So-
cietas inaequalis, contra Pufendorffium, Boemerum, Grotium.
26. Adeoque potestas a Christo Petro tradita non in mero docendi munere consistit, ut impudenter mentitur Pufendorf. heinc
27. R. Pontifici praeter primatum honoris et authoritatis competere etiam primatum iurisdictionis contra Fe-
ronium, Richerum, Dupinum et Antonium de Do-
minis vindicamus.
28. Galli non bene explicant, quid sit R. Pontificem ex Ca-
thedra loqui, dum universalem Ecclesiae consensum aut tacitum aut expressum ad ipsius decreta fir-
manda accedere, et expectari oportere contendunt.
29. Regimen illius nec est Monarchicum contra Curialistas, nec Aristocraticum nec Democraticum contra Pro-
testantes, nec Monarchicum Aristocratia temperatum, ut voluit Em. Bellarminus, sed ab his Regiminum formis, ut plurimum diversum. v. p. 25.
30. Concilia divinae sunt originis, contra Lutherum.

31.

32.

33.

34.

35.

36.

37.

38.

1.

2.

3.

4.

5.

31. Generalia convocare, confirmare, approbare, eisque aut per se aut per alium praesidere, de iure ordinario est R. Pontificis, non vero imperii politici contra Protestantes.
32. Soli Episcopi et ex his etiam Titulares de iure ad generale Concilium sunt vocandi, ex consuetudine Cardinales, Abbates vero et ordinum generales ex privilegio.
33. Concilium legitime oecumenicum est in materia fidei ac morum prorsus infallibile contra Lutherum et Calvinum.
34. Unanimis S. Patrum et Ecclesiae Doctorum in rebus fidei ac morum consensus est pariter authoritatis infallibilis.
35. Ex quo consequitur, illorum authoritatem in rebus naturalibus ac philosophicis tantum valere ac probare, quantum illorum ratio.
36. Ratio iam ultimum sibi in theologia locum vendicat; adeoque patet, quam longe exerraverint theologi aliqui, hoc nomine penitus indigni, qui ab authoritate abstraxerunt, et solam rationem ducem tanquam haeresum foecundissimam matrem secuti sunt.
37. Schola S. Augustini et Thomae ante Molinisticam multa habet peculiaria ac singularia.
38. Adeoque vel ideo est omnium celeberrima, antiquissima, securissima et reliquis iure merito anteponenda.

PROBLEMATATA.

1. Docere, undenam Ecclesia dignoscere potuerit libros canonicos ab Apocryphis?
2. Qua ratione vel methodo S. Scripturae studium sit suscipiendum?
3. Quid sentiendum de famosa illa 70. interpretum historia.
4. Quatenam celebriora polyglotta, aut caetera biblia habeamus?
5. An prohibitio lectionis S. Scripturae in linguis vernaculis et vulgaribus a S. Tridentino Concilio facta, sit in Germania per usum contrarium abrogata, ut quidam contendunt.

6. Quomodo traditiones ad nos usque fuerunt propagatae?
7. Ostendere, an magis commiseratione aut execratione dignum sit, illud Harduini illiusque affeculae Perruyeri portentum, somniantium, omnes non solum profanos Scriptores, sed etiam Ecclesiae Patres, antiqua Concilia, caeteraque veneranda antiquitatis Ecclesiasticae monumenta usque ad saeculum 13. esse supposititia, Apocrypha et ad evertendam christianam religionem a quibusdam impostoribus Monachis saeculi 14ti fuisse conficta. Sic prior in Chronologia sua Amstelodami 1709. et in prolegomenis ad censuram Scriptorum veterum Londini 1766. editis.
8. Scire volenti exempla varia traditionum divinarum, pure Apostolicarum, Ecclesiasticarum in specie recensentur.
9. Quae fides Iudaeorum Talmud, Masorae, Cabalae adhibenda?
10. Quale sit discrimen inter Doctores Ecclesiae, in Ecclesia et Patres?
11. Quanam editiones S. Patrum optimae sint?
12. Quae cautelae in iisdem volvendis observandae?
13. Interrogantibus de celebrioribus Patribus Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, Gregorio Magno, historia litteraria texetur.
14. Petentibus famosiores quoque Ecclesiae Doctores Bernardus, Anselmus Cantuariensis, Thomas Aquinas, Bonaventura adumbrabuntur.

EX THEOLOGIA SPECULATIVO-DOGMATICA.

1. **E**xistentia Dei unius a nemine rationis capace ne quidem brevi temporis intervallo invincibiliter ignorari potest, contra Caramuel, Molinam, Valentiam, Arragam, Meunier.
2. Adeoque serio defendimus, nullos dari Atheos speculative et interne tales.
3. Deus est oculis corporeis invisibilis contra Antropomorphitas,

4. Aetius et Eunomius distinctionem rationis inter attributa Dei male negarunt.
5. Divinam scientiam adaequate dividi in scientiam simplicis intelligentiae et visionis, ita nobis certum persuasumque est, ut media a Semipelagianis et Molina conficta, et sine ratione sufficiente adstruatur, et verbo Dei scripto et tradito, et authoritati S. P. Augustini et Thomae, et demum variis rationibus theologicis prorsus sit difformis.
6. Scientia media exploratrix est indigna Maiestate Dei, iniuriosa supremo et omnipotentissimo Dei in Creaturarum actiones Dominio, inutilis ad liberum arbitrium cum gratia concordandum, et Deum in decretis suis dirigendum, superflua et ob malas exinde sequelas penitus respuenda.
7. Molinistae aliqui iniuriosi sunt in S. Augustinum et Thomam, dum illos invitis illis in suas partes pertrahere conantur.
8. Pariter decreta subiective absoluta et obiective conditionata, uti et praemotio physica ad materiale peccati et actus ordinis naturalis tanquam entia sine necessitate multiplicata nobis superflua et inutilia esse videntur.
9. Deus praedestinat ad gloriam et gratiam ante praevisa merita, contra Pelagianos et Molinam.
10. Reprobat autem negative nonnisi post peccatum originale.
11. Deus absoluto decreto homines ad interitum non praedestinavit contra Praedestinatianos, Calvinum, Supralapsarios.
12. Vult voluntate seriae antecedente omnes homines salvos fieri, contra Iansenium et Calvinum.
13. Sed non sub hac conditione et pacto: si ipsi velint, ita ut totum salutis nostrae negotium sit in manu liberi nostri arbitrii repositum, et non a Dei voluntate repetendum, contra Molinam, Lessium et Massilienses.
14. Christus pro solis electis mortis suae pretium obtulit ex efficaci absolutaque voluntate eos salvandi, contra Semipelagianos et Molinistas.



15. Augustissimae Trinitatis mysterium rationis nostrae acumen longe superat, non tamen cum illa pugnat contra Raymundum Lullum, Socinianos, Sabellianos et Boelium.
16. Vox *ομολογιον* a Nicaena synodo rectissime fuit adhibita contra Arianos.
17. Graeci immerito conqueruntur de voce filioque symbolo Constantinopolitano inserta contra Photium et Caeularium.
18. Novem sunt ordines Angelorum et tres Hierarchiae contra Schubert et Bezam.
19. Singuli homines ut suum Angelum bonum Custodem, ita probabilius etiam malum tentatorem habent.
20. Imo et singula Regna, Provinciae, Ecclesiae et Civitates custodiae illorum commissae sunt.
21. In statu integritatis non indiguere gratia ab intrinseco efficaci.
22. Doemones et spiritus reprobi non methaphorico, sed vero igne materiali torquentur contra Origenem.
23. Magiae diabolicae existentia in lege Evangelica salva fide negari potest.
24. Est tamen possibilis, secus ac opinatur Cl. Iordanus Simon.
25. Sedes inferni in inferioribus terrae partibus, non vero in sole est collocata contra Svvindeum Anglum.
26. Aeternis inferni poenis frustra post Origenem reclamant Bailius, Burnetus, Lokius cum Socinianis.
27. Nec meliora sunt, quae Protestantes ac Reformati contra nostram de purgatorio fidem oblatrant.
28. Peccatum originale in omnes Adae posteros, pie excepta B. Maria Virgine transivit, contra Pelagianos, Anabaptistas et Socinianos.
29. Quae tamen debitum proximum ad illud contrahendum habuit.
30. A labe originali immunem B. M. Virginem voto sanguinario propugnare, pium ac honestum esse defendimus contra Cl. Muratorium.
31. Per Adae peccatum natura humana non solum fuit grauitis et supernaturalibus donis spoliata, sed etiam in suis naturalibus potentiis infirmata, inclinata, attenuata



- nuata ac in deterius commutata, quam fuisset in puris naturalibus contra Molinam Q. 14. A. 13. D. 3. Suarez, Vasquez, Bellarminum, Rhodes, Sfondrati et Pelagianos.
32. Medius ille inter Regnum Coelorum at infernum locus Q. 23. A. 5. D. 1. a Molina et Pelagianis fabricatus et parvulis non regeneratis una cum fructione beatitudinis naturalis post diem iudicii omnem hominis imaginationem superantis adpromissus omni prorsus caret fundamento. heinc
33. Parvuli sine baptismo obeuntes conformiter S. Scripturae et S. Augustino non solum poenam damni, sed et sensus cum dolore et tristitia coniunctam patiuntur, licet in comparatione adultorum mitissimam.
34. Iniuste igitur et immerito hoc defendentes parvulorum tortores a Molinianis exsibillantur.
35. Incarnatio est possibilis, ratione tamen naturali positiva indemonstrabilis.
36. Adulto praeter fidem Dei unius ut remuneratoris et trini necessaria quoque est necessitate medii fides explicita Dei incarnati contra Pelagium, Zyvinglium, Gravinam, Lugo, Tamburinum, Berruyer, Erasmus.
37. Messias a Iacobo, Daniele et Aggaeo praenunciatus iam venit contra Rabinos et gentiles, heinc in casum a Iudaeis expectatur.
38. Hic est ipsissimus Iesus Nazareus ab illis reiectus et crucifixus.
39. B. V. Maria ante, in et post partum Virgo permanfit contra impium Helvidium et Calvinum.
40. Duae sunt in Christo naturae, una tamen persona contra Nestorium et Eutichen.
41. Propositio, unus e Trinitate passus est, est catholica.
42. Anima Christi vere ad limbum inferi Luc. 16. memoratum contra Calvinum et Lutherum non vero in locum damnatorum descendit.
43. Vere etiam a mortuis resurrexit contra VVoolstonium etc. Naturalitas.

44. Si puram ab omni errore de gratia Dei doctrinam assequi velimus, Magnus Augustinus et Angelicus Thomas ante hesternum Molinam audiendi sunt, contra Molinianos.
45. Neque Augustinus pro hac gratia contra haereticos decertando a veteri Ecclesiae traditione unquam recessit, ut somniarunt Launojus, Grotius, Richardus Simonius, neque aestu disputationis abreptus cuiusdam excessus aut Caliginis insimulari potest, ut criminatur Molina alicui incauti illius assecclae.
46. Molinae systema circa gratiam a quolibet bene cordato vel ex hoc capite deferendum est, eo quod ipse fateatur Q. 23. A. 4. et 5. D. 1. id esse novum, perquam facile, Patribus incognitum et contrarium abstrahendumque esse ab authoritate S. Augustini.
47. Molinismus et Congruismus fatentibus ipsis nostris adversariis non differunt quoad substantiam, sed solum quoad nudum verborum sonum.
48. Ex ipsamet S. I. contra Molinam testimonia pugnant, eaque haud contemnenda, nec de partium studio accusanda.
49. Ex quibus in aprico positum est absque nota levitatis aut inconsiderantiae non posse subscribi Molinismo.
50. Datur gratia non a determinatione voluntatis humanae, aut ab adventitio praevisto liberi arbitrii consensu Molinae, nec ex attemperazione aut dispositione subiecti Vasquezii, nec ex consensu voluntatis in circumstantiis congruis praestando, et per scientiam mediam explorato Suarezii etc. Conguistarum.
51. Sed natura sua ab intrinseco seu ex Deo ipso efficax.
52. Atque hanc in delectatione victrice aut praemotionali physica repositam nedum humanam libertatem non tollere, ut Molina cum suis sociis et discipulis inepte gloriatur, sed perficere contra Iansenium dogma fidei est.
53. Adiutorium sufficiens et inefficax non ita continet omnia ad actum necessaria, ut nil aliud ad bonum re ipsa operandum ex parte Dei requiratur, contra Molinianos et Iansenianos.

54. Gratia actualis ad fidem eiusque initium est necessaria, contra Semi- et Pelagianos.
55. Homo sine gratia actuali bonum salutare et supernaturale nec cogitare, nec incipere, nec velle, nec perficere potest, contra eosdem.
56. Non datur status puri amoris et indifferentiae Quietistarum et Pseudomyfticorum, contra Michael de Molinos, Beguardos, Beguinas.
57. Beati ad Deum videndum lumine gloriae indigent, quod non est lux increata Palamitarum, nec accidens absolutum, aut aliqua qualitas occulta veterum Scholasticorum.
58. Animae iustae sine retardatione statim beatitudinem consequuntur.
59. Nec circa hoc dogma R. Pontifex Ioannes 22. erronee quid definivit.
60. Animae purgandae vivorum precibus et suffragiis iuvantur contra Protestantes.
61. Caro mortuorum resurget, et pro meritis aut aeternum praemiabitur, aut aeternum cruciabitur contra Sadduceos, Spinofam et spiritus fortes.
62. Nullum erit Regnum millenarium in terris contra Cernithum, Papiam etc. Chiliaftas.

EX THEOLOGIA POLEMICA.

1. **P**raeter Religionem naturalem necessario admitti debet aliqua religio libera a Deo revelata contra Rousseau, Voltaire, Boelium etc. Naturalistas.
2. **E**x revelatis, quae se tales iactant, admittenda est necessario unica tantum vera Christi religio contra Indifferentistas.
3. **T**alis nec est Paganismus.
4. **N**ec Iudaismus.
5. **N**ec Mahometismus.
6. **N**ec Acatolismus.
7. **N**ec Indifferentismus moderno christianus.
8. **N**ec Libertinismus et Naturalismus.

9. Sed sola Christiano et Romano catholica est vera, unice divinitus revelata et evidenter credibilis religio.
10. In qua falsum est dari articulos fidei fundamentales et non fundamentales, ut somniant cum Picteto et Iurio Protestantes.
11. Sola fides non iustificat contra Lutherum et Calvinum.
12. Notae characteristicae verae Ecclesiae sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas iuxta Concilium Nicenum.
13. Non vero iuxta Protestantes pura verbi praedicatio et legitima Sacramentorum administratio.
14. Hae notae nulli ex superius recensitis, sed soli Ecclesiae Romano-Catholicae conveniunt.
15. Heinc Ecclesia Christi ex natura sua est visibilis.
16. Nec unquam defecit, nec unquam est defectura contra Iurieu.
17. Huius membra non tantum sunt praedestinati et iusti, ut voluit VViclef, Hufs, Calvinus et Lutherus.
18. Sed etiam peccatores, reprobi et homines imperfecti modo non habeant peccatum infidelitatis contra Novatianos, Donatistas et Pelagianos.
19. Non vero Haeretici publici et manifesti contra Iurieu.
20. Haeretici immerito debachantur contra inquisitionem haereticae pravitatis in genere sumptam.
21. Ecclesia potestatem habet iudicandi et censurandi libros doctrinam dogmaticam aut moralem continentes, in iisque diiudicandis est infallibilis.
22. Adeoque merito damnatae fuere 5. propositiones in sensu obvio et conexo Iansenii intentae.
23. Ecclesia etiam dispersa per orbem in rebus fidei et morum proponendis errare nequit.
24. Unde ab eius iudicio ad futurum Concilium generale appellare non licet.
25. Nec licet a Bulla unigenitus appellare.
26. Merito a Clemente 12mo. et Benedicto 14to. et utriusque Siciliae Rege Carolo fuere damnata occulta quorundam lucem fugientium homuncionum conventicula gallice dicta de francs Maçons, quibus illud Priscilianistarum solenne fuit iura, periura, secretum pandere noli.

27. Quilibet homo divina gratia adiutus potest perfecte ob-
servare, et implere omnia ac singula praecepta ad
salutem necessaria contra Calvinum et Lutherum.
28. Adeoque impie mentitur Lutherus, dum ait, legem
Evangelicam praecipere impossibilia.
29. Lutherus saepenumero sibi contradixit, adeo ut appo-
site Serenissimus Saxoniae Dux Georgius dixerit :
Lutherani hodie nesciunt, quidnam die crastino sint
creditori.
30. In Sacramento Eucharistiae vere, realiter ac substantia-
liter continetur corpus et sanguis una cum anima et
divinitate Iesu Christi, non vero in signo aut figura
contra Calvinistas, Zvvinglianos et Berengarium.
31. Mysterium hoc etsi sit supra, non tamen est contra ra-
tionem, contra eosdem et Boelium.
32. In S. Eucharistia non manet substantia panis et vini, sed
per verba consecrationis in substantiam corporis et
sanguinis Christi convertitur seu transubstantiatur,
contra eosdem et VViclesum.
33. Angelorum existentia contra Saduceos, Risbikianos,
Dossitheos ex Scriptura et traditione firmissime com-
probari.
34. Quin et existentia illorum in genere et malorum in spe-
cie ratione philosophica efficaciter suaderi potest.

PROBLEMAT.

1. **O**stendere progressus sectae Lutheranorum causam fuisse
illam genuinam, quam adducit praeco Copenhagen-
sis Brahmanus dicens : Lutherus principibus redditus
Ecclesiasticos et bona monasteriorum Sacerdotibus
conubia, petulanti populo libertatem obtulit, et hoc
multum potuit efficere.
2. Docere sequentia Pseudo axiomata Libertinorum et Na-
turalistarum Voltairii et Rousseauvii esse exorbitantia
et impia. 1. Non esse instruendos infantes circa Dei
existentiam, vitam futuram et principia morum, an-
tequam tale rationis lumen attigerint, ut haec clare
percipere possint. 2. Dubitari posse de mundi crea-
tione.

tionem. 3. Omnia mysteria a religione eliminanda. 4. Non rationem sacris litteris, sed has rationi subiiciendas. 5. Liberum esse unicuique de religione cogitare, loqui ac scribere, prout sibi visum fuerit. 6. Hominem non indigere nisi cibo, foemina ad usum momentaneum et quiete. 7. Homines nullam habere correlationem moralem, neque aliqua officia sibi mutuo debere, et consequenter neque bonum esse in statu naturae, neque malum, neque vitia neque virtutes.

3. Articulos fidei esse figmenta et somnia otiosorum populorum et vincula indigna humanae libertatis, vi quorum plebs in ordine contineatur.

4. Demonstrare veram Christi religionem non solum statui politico non nocere, verum eundem magis promoveri.

5. Econtra religionem Ecclecticam spirituum fortium esse absurdam et reipublicae nocivam.

EX THEOLOGIA MORALI CHRISTIANA ET LITURGICA.

1. **A**ctus humanus in individuo indifferens est Chimericus contra subtilem Duns Scotum, Vasquez, Oviedo.

2. Actus externus prout est mera executio actus interni, non addit malitiam aut bonitatem formalem actui interno contra eosdem.

3. Optime dividitur conscientia in rectam, erroneam, certam et probabilem missis caeteris otiosis Scholasticorum divisiunculis.

4. Homo iure N. et divino tenetur modo humano agere, et quantum potest veritatem aut id, quod veritati est proximius assequi, omnemque errorem errorisque periculum praecavere.

5. Adeoque iam per se corruunt herculei roboris existimata Probabilistarum principia.

6. Atque imo falsum est eum agere prudenter et cum ratione, qui sequitur opinionem probabilem in comparatione probabilioris.



7. Nam sic spectatus probabilissimus veritatis nil, bene vero multum falsitatis retinet.
8. Falsum est 2do. talem legem ad verisimiliora adstringentem non existere, aut non obligare, nisi cum certum et evidens est illam existere.
9. Falsum est operantes ex principiis probabilissimi laborare ignorantia invincibili.
10. Falsum est etiam, et contra sanas bonae Logicae regulas illud in qualibet linea pertinaciter iactatum Probabilistarum adagium: libertas est in possessione, seu homo utitur iure suo praecipue contra Busenbaum.
11. Falsum est in illorum applicatione illud toties propinatum et inclamatum iuris axioma, in dubio est melior conditio possidentis.
12. Falsum est, quod in moralibus, ubi agitur de licito et illicito circa obligationes, pars maior trahat ad se minorem.
13. Falsa est etiam illa, quam ex defensorum probabilissimi numero exsculpere tentarunt moralis certitudo, ultimumque conscientiae probabilisticae dictamen posse esse practice certum, quod tamen ad actionem prudentem requiritur,
14. Falso se etiam titillant illo textu Mathaei: Christi iugum suave, probabilissimumque portas inferni obstruxisse.
15. Falsum, quin imo calumniosum est dicere, S. Patres aut Ecclesiae Doctores unquam cum Probabilistis sensisse, aut Ecclesiae pastores secundum illorum sententiam unquam quid decidisse.
16. Falsum est, probabilissimum non esse fontem, Scaturiginem et Seminarium monstrosarum laxitatum et vitae christianae corruptellarum, quod R. Pontifex Alexander VII. non sub sipario, sed in orbis theatro dixit, quodque doctrinae consecutio et series temporum ostendit, ut ait Clerus Gallicanus apud Cl. Bossuet.
17. Falsum demum vanumque est illud effugium sententiam verisimiliorem non esse pro praxi v. g. confessionali, viamque innumeris aperire scrupulis et anxietatibus.
18. Illud vero cuiusdam nudius tertius nati Authoris aut ignorantis aut calumniantis comentum penitus est intoleranda-




- tolerabile, qui ait sententiam probabiliorem de Iansenismo esse suspectam.
19. Stante dubio haerenteque animo inter aequalia rationum momenta homini prudenti et rationis compoti aut tutius est amplectendum aut ab actione cessandum.
 20. Adeoque falsissimum iterum est, intellectum in concursu duarum opinionum aequae probabilium a voluntate pro libitu ad partem utramlibet posse moveri et determinari.
 21. Ex quibus simul sumptis tria clarescunt. 1mo. Probabilissimum et iuri N. et verbo Dei scripto et tradito et authoritati summorum Pontificum, S. Patrum atque Doctorum prorsus recalcitrare.
 22. 2do. Probabilissimum praedicare doctrinam innocentem, prudentem et utilem esse Chimaeram risu confutandam.
 23. 3tio. Absque nota pertinaciae et levitatis non posse describi probabilismo.
 24. Principes saeculares et Ecclesiastici leges ferre possunt non mere suasivas et directivas, ut somniant cum Luthero Protestantes, sed in conscientia vere obligantes et coactivas.
 25. Quae non pendunt ab acceptatione populi.
 26. Pontificias tamen statim obligare, si solum Romae fuerint promulgatae, merito contra Curialistas negatur.
 27. Potestas Ecclesiastica non se extendit ad actus mere internos.
 28. Peregrini et vagi tenentur legibus loci, in quo commorantur aut transeunt.
 29. Probabilistae, dum generaliter definiunt aetatem sexagenariam in viris, quinquagenariam in foeminis etli caeteroquin viribus polleant, illos a ieiunii observatione excusare valde decipiunt figmento suo extra illorum cerebrum nullibi existente contra vivam, Diam Sanchez.
 30. Pariter imponunt, dum homines litteratos aut litteras tradentes a ieiunii lege exemptos audacter pronuntiant.
 31. Peccatum mortale potest esse imputabile sine advertentia actuali malitiae contra Ethices benignioris Patronos praecipue Reifensul, La Croix, Elbel.



32. Homo saepius per annum et in vita, praesertim vero articulo mortis et tentationum ingruenti periculo tenetur elicere virtutes theologicas, quae sunt distinctae ab observatione mandatorum Dei contra probabilistas praecipue Sirmondum.
33. Actiones quaedam ridiculae et amuleta naturalia etiam superadita benedictione non publica nec ab Ecclesia approbata superstitionis notam non effugiunt.
34. Non licet iuramentum ab eo exigere, qui praevidetur peieraturus.
35. In aequali utrinque probabilitate votum servari debet contra Probabilistas.
36. In dubio, ad quem pertineat collatio beneficiorum in Germania, in favorem ordinariorum est pronuntiandum contra Curialistas.
37. Pluralitas beneficiorum etiam simplicium, quando unum sufficit, est graviter detestanda.
38. Simonia in provisionibus beneficiorum commissa easdem irritas reddit, quamvis solum fuerit conventionalis.
39. Frustra et falso sibi blandiuntur Clerici, qui putant se habere absque praeiudicio iustitiae dominium absolutum bonorum superfluum ex Ecclesiae beneficio redeuntium.
40. Bene vero habent dominium liberum bonorum ex ministerio spirituali provenientium contra Cl. VanEspen.
41. Personae Ecclesiasticae illorumque bona beneficalia sunt iure divino in theoria a iurisdictione et exactio-
ne Laicorum immunia, quidquid contra oganiant Pseudopolitici.
42. Non vero bona patrimonialia aut alio titulo acquisita quorum respectu ut membra reipublicae considerantur.
43. Ius Asyli in novo testamento institutionis humanae est.
44. Et si modernam Ecclesiae disciplinam spectemus, illud ius restringendum magis, quam extendendum videtur.
45. Adeoque delictum commissum in Ecclesia non gaudet iure Asyli, quidquid olim veteres senserint scholastici.
46. Qui avertit aliquem a statu religioso, non tenetur ad restitutionem monasterio compensandam.

47. Considerato moderno Germaniae statu feripetae exp-
nentes se periculis graviter peccant, non tamen tenen-
tur ad restitutionem.
48. Dubitans, utrum solverit debitum, obligatur illud inte-
gre exsolvere contra Probabilistas.
49. Iudex in causis civilibus, non vero in criminalibus,
quando de innocente privata notitia pro tali habito
res agitur, secundum allegata et probata iudicare te-
netur.
50. Nec potest reum ex praesumptionibus vehementibus et
violentis condemnare.
51. Non licet uxorem aut filiam in flagranti adulterii crimi-
ne deprehensas nec ipsum adulterum occidere contra
quosdam Civillistas.
52. Senatus consultum Macedonianum est iustum pro foro
interno.
53. Usurae cum iure divino, naturali et Ecclesiastico pro-
hibeantur, nullo specioso obtentu cohonestari possunt.
54. Census Germaniae non sunt iisdem adnumerandi.
55. Etsi nec fides nec probitas ministri ad valorem Sacra-
menti requiratur contra Albigeneses, Donatistas,
VViclef et Hufs.
56. Non tamen quilibet homo est omnium Sacramentorum
idoneus minister contra Lutherum.
57. In administrante Sacramenta requiritur intentio saltem
virtualis.
58. Sola externa Catharini nec verior, nec antiquior, nec
potior est intentione interna, ut quidam falso sibi
persuadent.
59. Lotio pedum neque a S. Ambrosio nec a S. Bernardo
Sacramentis fuit adnumerata.
60. Baptismus in solo nomine Christi collocatus nec fuit, nec
valeret contra Caietanum.
61. Christi Baptismus essentialiter differt ab illo Ioannis
contra Calvinistas et Lutheranos.
62. Baptismi vices martyrium supplet contra Gnosticos et
Valentinianos.
63. Baptismus infantum per votum aut fidem parentum
suppleri nequit contra Caietanum et Caramuel.



64. Confirmatio est verum N. legis Sacramentum contra Lutherum.
65. Communio sub duplici specie Laicis non est praecepta contra Taboritas, Calixtinos, Kieslingium.
66. Neque plus gratiae sub duplici quam sub una specie sumpta confert contra Vasquez.
67. Ut splendeat fides catholica et Ecclesia de haeresi triumphum agat, festum S. Corporis Christi merito, pie ac laudabiliter absque minima superstitionis aut idololatriae nota a Catholicis celebratur contra Protestantes praecipue Kemnitium et Dalaeum.
68. Fucharistia est verum Sacrificium contra eosdem.
69. Missae privatae sunt licitae contra Lutherum et Kemnitium.
70. Poenitentia est verum N. legis Sacramentum realiter distinctum a Baptismo contra Calvinum, Melancton, Schubert.
71. Contritio perfecta reconciliat Deo ante Sacramentum actu perceptum contra Baium.
72. Attritio est bona et laudabilis contra Iansenium, Quesnellum, Lutherum.
73. Haec tamen in Sacramento poenitentiae initialem Dei amorem includere debet contra suavioris iugi Magistros Francolinum, La Croix, Sporer, Le Dent, Esparza.
74. Confessio est iuris divini contra Calvin. VViclef.
75. Adeoque falsum est illius usum primo in Concilio Lateranensi aut occasione Novatianorum fuisse introductum.
76. Publica non est necessaria contra Protestantes.
77. Circumstantiae notabiliter agravantes, peccataque dubia sunt materia confessionis contra Probabilistas praecipue Vasquez et Caramuel.
78. Expedit peccata reservari, nec ignorantia reservationis excusat a casibus reservatis.
79. Sigillum confessionis iure divino naturali et Ecclesiastico obligat contra VVerchner.
80. Satisfactio ante absolutionem necessario impleri non debet contra Brachet.

81. Monachi, qui praeter vitam contemplativam etiam activam profitentur curae animarum incapaces non sunt contra librum nuper editum in dioecesi Ratishonensi.
82. Ecclesia ex suo thesauro indulgentias concedere potest, contra Tertulianum, Calvinum, Hufs.
83. Extrema unctio est verum N. legis Sacramentum contra Protestantes.
84. Hanc Parochus infirmis postulantibus etiam tempore pestis et cum periculo vitae iure divino et Ecclesiastico administrare tenetur.
85. Ordo est verum N. legis Sacramentum a Christo institutum contra Lutherum, Calvinum.
86. Ordines minores non sunt Sacramentum.
87. In traditione instrumentorum ad validam ordinationem requiritur contactus physicus illorum contra Probabilistas praecipue Layman.
88. Ordinatio Anglorum iuxta rituale Eduardi 6ti est irrita et invalida contra Courayer Godvvinum et Masonum.
89. Episcopi sunt necessarii in Ecclesia contra Smitheum et Danielelem a Iesu.
90. Episcoporum iurisdictio descendit immediate a Deo contra Tourrecremata et Lainez.
91. Adeoque falsissimum est illud quorundam Curialistarum principium, illos nonnisi Pontificis vicarios et officiales esse asserens.
92. Sunt Presbyteris iure divino superiores non in quodam complemento et extensione veterum Scholasticorum, sed tam potestate ordinis quam iurisdictionis contra Aerium et VViclef.
93. Excommunicationes latae sententiae nec recentioris sunt disciplinae nec perniciosae contra van Espen.
94. Matrimonium est verum N. legis Sacramentum contra Calvinum et Lutherum.
95. Ecclesia potest statuere impedimenta matrimonii dirimentia contra Calvinum, Lutherum et Marcum de Dominis.
96. Eius essentia non consistit in copula, ut voluit Iulianus, sed in vinculo perpetuo.
97. matrimonium initum cum voto aut pacto perpetuae castitatis est validum.

98. Consequenter verum inter B. M. Virginem et S. Iosephum intercessit matrimonium.
99. Huius Sacramenti ministrum esse ipsos contrahentes nobis certum est: contrarium autem, quia nullo idoneo Authore, Concilio aut Patre increbuit, merito reiiicitur.
100. Vinculum matrimonii adeo firmum est, ut illud nec adulterio dissolvatur contra Novatores.

PROBLEMATA.

1. Ostendere Probabilissimum, vel solo novitatis crimine semetipsum confodere.
2. Evincere illos vehementer hallucinari, qui quaestionem hanc gravissimam totamque ferme moralem excurrentem exiguae esse utilitatis, aut illam quasi adiaphoram inter putidas Scholasticorum nugas, quae proinde aut praetermitti, aut nonnisi primis labris attingi, aut in utramque partem Socratica dubitatione disputari possit, ablegandam esse existimant.
3. Iuste Clerum Gallicanum diris devovisse hanc propositionem P. Moya, doctrinam fidei a veteribus, doctrinam morum a iunioribus petendam.
4. Merito etiam damnasse hanc alteram: non sunt scandalosae aut erroneae opiniones, quas Ecclesia non corrigit,
5. Ostendere, quam proficua quam utilia curae animarum pastoribus et theologiae moralis auditoribus essent aurea illa SS. Caroli Borromaei et Francisci Salesii opuscula.
6. Et quam multo magis saperent et sapientius agerent cum animarum pastores tum theologiae christianae studiosi, si loco sexcentorum e trivio ethices mollioris Casuistarum haec aut Cathechismi Romani R. P. Pii V. et Clementis XIII. iussu recogniti opuscula sibi compararent, et familiaria redderent.
7. Iustitiae divisionem in expletricem et attributricem cum publicam tum privatam esse optimam et caeteras superfluas.

8. Radices restitutionis, quae a veteribus Scholasticis adferuntur ex re accepta et iniusta acceptione utpote nimium angustas reiiciendas, illisque substituendas illas ex iniusta damnificatione et iniqua rei alienae detentione.
9. Originem horarum Canonicarum, et in iisdem recitandis attentionem solum externam nequaquam sufficere contra Probabilistas ostendere.
10. Docere ordinationem Diaconorum, quorum act. 6to. fit mentio, fuisse sacram non vero nudam ad profanum ministerium deputationem.
11. Quid, quotuplex sit censura, quis ea ligari possit, et quare? quae causae ab illa excusantes?
12. Originem, divisionem et effectus irregularitatis exponere.
13. Specialium iubilaei indulgentiarum ortum et praerogativas in medium adferre.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA.

1. **U**tile ac necessarium est theologo scire historiam praecipuas Ecclesiasticam, turpe ac noxium nescire.
2. S. Petrus Romam venit, ibique usque ad mortem Cathedram suam fixit contra Lutherum, Calvinum, Spanhemium, Harduinum.
3. S. Petrus et Paulus non fuere duo aequalia Ecclesiae capita contra Arnaldum.
4. Instrumentum donationis Constantinianae R. Pontifici ab Isidoro peccatore probabilius confictum, infirmo labilique pede inititur.
5. Contra omnem retro antiquitatem insurgit Cl. Fleury, dum Monachis munus doctionis non convenire effutit, cum tamen a nullo melius et laudabilius illud peractum fuisse ingenuo candore fatendum est.
6. Godescalculus nec praelusit, nec favit haeresi praedestinatianae.
7. Adeoque imprudenter et irrationabiliter a Hincmaro fuit oppressus.
8. Numismata indulgentiis primus condecoravit S. Pius V.



9. Symbolum vulgo Athanasianum verius ipsi Athanasio adscribitur, quam vigilio Taspensi, ut volunt Cl. Natalis Alexander et Pascalis Quesnellus.
10. Uti liberationem Traiani, ita decantatam Ioanam Papissam inter fabulas et non entia amandamus.
11. Absolutio Sacramentalis olim Canonicorum criminum reis in articulo mortis eam primum petentibus denegata non fuit, ut quidam S. Cyprianum et Innocentium male intelligentes asserunt.
12. Rudolphus Habsburgicus nunquam fuit excommunicatus.
13. Expeditiones sacrae, quamvis pie et merito susceptae multis tamen excessibus et corruptelis ansam praebuere.
14. Ritus Sinenses et Malabarici merito tanquam superstitiosi et idololatrici proscripti et damnati fuere.
15. Licet pax tam Religiosa, quam VVestphalica nec ex capite vis et metus, nec ob usurpationem alienae ac indebitae potestatis impugnari valeat, Romani nihilominus Pontificis protestatio contra has pacificationes non inefficax censenda est.

U. I. O. G. D.



2. Synodum vniuersalem Arianismum veritas ipsa Athanasio ad-
 scribitur, quam vigilio Tiberii, ut voluit C. Nata-
 lis Alexander et Basilis Quenstedt.
10. Uti liberatum Tiberii, ut decessit Iohannem Papam
 iam inter fabulas et non entis amandamus.
11. Alibi de sacramentalis olim Canonicoorum ordinum
 reus in archiepiscopo mortis cum primis perentibus de-
 beat non fuit, ut quidem S. Cyrillus et Innocen-
 tius ante intelligentes attulerunt.
12. Expeditiones sacre, quasvis ipse et merito inspectas
 multis tamen excelsis et corruptis animis pre-
 buerunt.
13. Rites summe de Mahometi merito tantum superfluo-
 si et idololatrici proscripti et damna fuisse.
14. Licet pax tam Religiosa, quam Christiana nec ex
 capite vis et metus, nec ob rationem allens ac
 indebitis potestas impugnavi valeat, Romanum nihil
 longius pariter protestatio contra has persequutiones
 non inefficax censenda est.

U. I. O. E. D.



